B. Dinter.

C. G. Herzog. 1805.

16 gr.

CARMINA LATINA

AVCT.

Johann Friedrich
IO. FR. DIETRICH

EIVSDEM SVMTIBVS EDITA

LIPSIAE

IN COMMISS. GODOFR. ANDR. IOACHIMI

cIↃIↃCCCV

Praefatio
ad amicos.

Quibus olim verbis C. Plinius, cum de epistolis suis publicandis cogitaret, S. Septicium, iisdem ego nunc Vos, quorum hortatu et iussu hi lusus prodeunt: superesse nimirum, ut nec consilii, nec me poeniteat obsequii, non potui non affari. Verito enim mihi magnopere, ne in multas multorum reprehensiones incursurus essem, quod vel omnino ope-

ram tam inutilem et inanem, vel certe, quod nunc demum, ubi pleraque, ex tempore fortasse ipso, quo scripta erant, pretiolum aliquod nacta, iam fere obsoleuerint, eam suscepissem, elaborandum sane in eo erat, ut conatui meo quandam excusationis speciem inducerem, culpaeque meae aliquam partem in Vos, tanquam auctores et suasores, deferrem. Huc accedit, quod multa eorum, quae iuuenis et paene puer confeceram, hinc inde dispersa, nonnulla etiam typis impressa, paucissima autem eiusmodi sint, ut pro meis haberi velim. Vt igitur neque rogationibus Vestris diutius refragarer, neque in obtemperando iusto facilior essem, denique abs me impetraui, ut versiculos meos, quotquot eorum retrahere poteram, quasi errones, intra limina reuocarem, et eos, qui minus mihi improbandi viderentur,

additis quibusdam nouis, incudi redderem, plerosque autem, et in his fasciculum Odarum et Satirarum, quod ad illas limandas et expoliendas otium animusque mihi deerant, has autem parum amoris mihi conciliaturas, facile praevidebam, plane supprimerem. Ceterum equidem non tam vanus sum, ut omnibus aeque me placiturum esse, aut placere posse, putem: veniam tamen iure quodammodo meo exigere posse mihi videor, cum partim, ut nunc sunt tempora, raritas ipsa Latinorum poetarum, ut vel mediocribus aliqua gratia habeatur, efficiat, partim in edendis carminibus meis id potissimum spectauerim, ut (nisi forte hoc arroganter dictum existimari possit) literarum cupidi adolescentes ex me quasi discant et mature intelligant, neque aetatem prouectiorem, neque muneris grauitatem, vitamque

curis et aerumnis obsessam impedire, quo minus interdum eiusmodi deliciis suauiter pascamur, laborumque lenimen et solatium in hoc ipso labore, si labor dicendus est, quaeramus. Scr. Megalohainae, Cal. Mart. A. C. cIↃIↃCCCV.

I. F. Dietrich,

Ser. Pr. El. Saxon. a Consil. Commiss. et iustit. admin. in prouinc. Hainensi ac Mauritioburg. Praef. Soc. lit. Lusat. sup. Coll. ord.

I.

CARMEN SECVLARE

CAL. IAN. cIↄIↄccci

. . . .

CARMEN SECVLARE

CAL. IAN. CIↃIↃCCCI.

Tandem recessit (plaudite, posteri!)
Magno sub umbras omine Seculum,
Luctusque post atros, futurae
Prosperitas nitet alma genti.

Deuicta tandem bellua centiceps,
Tot dira terris fata, tot horridas
Enixa strages et ruinas,
Pestifero male fausta partu.

Euersa secum quippe potentia
Et regna, et urbes et rapuit duces,
Viditque reges sede pulsos,
Sacrilegaue manu peremtos.

Vidit cruore, heu! Rhene pater, tuos
Fluctus rubentes: funera quot virûm
Ripis putrescunt! quot necatis
Corporibus vitiatur äer!

Frustra propinquum sidereis plagis,
Minis Gradiui conditis arduum,
Alpes niuosae, culmen: ultra,
Quam Boreas Zephyrúsque tendunt,

Quam, quo remotis lucida fulgura
Regnant et imbres nubibus, aut maris
Irae, per undas perque nubes
Strauit iter sibi, strauit audax

Bellona, fines Niligenum suis
Aggressa turmis, atque Arabum domos,
Seu vecta Blancardi carina
Aeria, aut ratibus per aequor.

Perterrefacti diffugiunt procul
Lustris leones; Pyramidum tremit
Aeterna moles; Luna pallet,
Nauibus egrediente *Gallo.* —

Sed, parce tandem, Melpomene, tuo
Cantu nefastas dicere temporum
Labes, et heroum cruentas
Caede manus, cineresque foedos!

Est et relapsi gloria Seculi
Dicenda plectro, scilicet artium
Consortio clari nouarum, et
Mille bonis opibusque clari;

Quas grata quondam posteritas, sacro
Narrabit incensa, igne, nepotibus,
Vix credituris, quo sit ausa
Tendere auûm proauûmque virtus;

Nec fracta turpi mollitie, neque
Clade aut ruinis; semper in altius
Enisa, ut incassum procellis
Turbinibusque agitata, quercus.

Haec, haec perenni carmine tollere
Sit cura vatum! — Me patriae rapit
Spes et salus ventura, pulchro
Sidere per tenebras relucens.

Nam, qui per urbes, *Napoleon*, Ioui
Par summo, et undas intonuit maris,
Iam, iam redonabit salutem,
Innumeris residens tropaeis,

Reddetque pacem gentibus et mari,
Dextraque eadem, qua modo fulmina
Torsit, decorus mox oliua,
Aurea secla reducet orbi.

II.

VER POEMA KLEISTII

LATINE REDDITVM

* * * * * * * * *

VER POEMA KLEISTII *)

Accipe me viridi, venerabilis umbra, receſſu!
Perculſumque ſacro veſtros horrore ſub arcus
Accipite, o nemorum penetralia celſa! mihique,
Naturae iuuenile decus celebrare paranti,
Inſpirate melos! Vosque, o ridentia prata,
Plena vagis circum riuis, et, rore madentes,
Florigerae valles! veſtro ſuffuſus odore,
Intemerata meae ducam ſolatia vitae.
Vos ego conſcendam, fragrantia culmina, colles,
Auratisque canam fidibus noua gaudia ruris.
Audiat hos cantus Aurora, atque audiat Heſper!

---

*) Primum haec versio Lipsiae anno 1787. prodiit: *Ver Kleistianum latina metaphrasi expressum*, inscripta. Quam quidem nunc iterum prelo commissurus, compluribus in locis mutaui. An in melius, iudicent alii, quos cum illa priore hanc comparare, haud pigeat. Ceterum cum Spaldingio, eiusdem quondam carminis interprete latino (Berol. lit. G. I. Dekeri, 1783.) eam saltem opellae nostrae utilitatem fore, puto, ut nos cum auctore vernaculo conferentibus, laudes posterioris renouato splendore eluceant.

Nubibus insidens roseis, cinctumque recenti
Flore comas, nuper VER se demisit Olympo.
Omnia tum diuina sui spiramina vultus
Persensere: ruunt glomeratae montibus altis
Mole niues; liquido coelum omne resoluitur imbre,
Intumuitque toris procul incitus amnis, et aruum
Fluctuat. Attonitus videt ista stupetque colonus. —
At subito vernum recalescit in äere flamen:
Diffugiunt nebulae, blandusque reducitur aether;
Terra bibit latices, solitoque repressa meatu,
Inter arundineas voluuntur flumina ripas.
Saepe quidem fugiens, reduci pede nocte reuersa,
Saeuit Hiems, validum et quassis deiectat ab alis
Dispersasque niues frigescentesque pruinas;
Acciet indomitos ventos, ventique tonanti
Murmure prorumpunt Arctois protinus antris.
Exoritur nemorumque fragor, gemituque reuulsa,
Robora strata iacent; rabidum mare sedibus imis
Vertitur, eructatque furens ad sidera fluctus. —
Ast iterum Veris vitalis spiritus halat:
Lenior aura poli sentitur, et arte carentes,
Floribus atque satis texti, vestire tapetes

Incipiunt valles iugaque alta: e tegmine fagi
Vmbrarum ſimulacra cadunt, dubiasque virentum
Lucorum tenebras modulamina conſona complent.
Emicat e riuis Phoebi fulgentis imago,
Milleque mobilibus ſcintillis lucet; in auris
Dulcis odor fluit, et quondam ſopita cauernis,
Euigilans Echo, paſtorum carmina reddit.

Vos, animos quorum deceptos vexat inanis
Cura, quibus torpet, nebuloſa ut nocte ſepultum,
Sollicitum pectus, quid ſuſpiratis, et inter
Perditis aerumnas fugitiuae tempora vitae?
Excrucient ſeſe, quos famae ſerua cupido
Praecipites agitat, quorumue ultricibus iris
Corda tument feruentque, aut si quos pallida tabes
Inuidiae vel auaritiae conſumſerit aegros!
Vos gaudere decet! Vitiat dolor improbus ipſam
Virtutem mentisque decus. Quin gaudia plenis
Hauſtibus imbibitis? Spirat reſonatque per auras,
Et viret atque ſalit vobis in valle voluptas.
Vosque, puellares coetus, florentis imago
Et comites veris! graueolentem, o! linquite peſtem
Vrbis, et aurato prodite ex carcere! Vobis

Dulcifonis ridens iam vocibus annuit Echo,
Crifpatafque comas Zephyrus confundere ve-
ftras
Iam lufu geftit placido, dum vallis in umbra,
Siue per arcanos lucos ad plectra choreas
Ducitis, aut iuxta refidentes murmura fontis,
Nectitis in caftas violarum ferta papillas.

Hic, ubi perpetuum viridanti confita pinu,
Coeruleum, rupes procliuis, flumen obum-
brat,
Hic mihi gramineis placeat confidere ftratis. —
O qualis iocus et rifus, quae viua voluptas
Pacificos pagos, faltus, collesque gregesque
Circum animat! quo fe tandem vaga lumina
fiftant?
Hic, virides inter fegetes, ubi gramine picto
Textus, in anguftum fulcorum cogitur ordo?
Aut prope fpiniferas, fub amoena rofeta, pa-
ludes? —
Quo feror? ecce! oculos rapit infultantibus
undis
Balticus Oceanus, glaucum omnipatensque
barathrum!
Sol fuperinfundit radians ftellantis Olympi
Effigiem: pelagi, rediuiui ut morte, Gigantes
Immenfis ludunt fpatiis, et coerula tranant.

En! tibi, campeftris, noua iam fpectacula,
Mufa!

Cernis, ut hinc celebrentur equis nigrantibus agri?
Exſiliunt, quatiuntque ſolum, tumet ardua ceruix,
Hinnitusque alacres pineta ſonantia reddunt.
Interea toruus vaccarum cum agmine taurus
Ingreditur, dux, per virgulta paluſtria villae,
Cuius ad acceſſum ſalices poſitae ordine frondent,
Thyrſiger et tergo cui collis prominet, una
Parte nitens, alia velamine tectus: at umbra,
Nube fugit fugiente; iubar ſequiturque gradatim.
Aethereas auras aſcendit alauda, videtque
Felices infra valles, librataque pendens,
Iubila mille modis modulatur ab äere: cantus
Agricola hos tremulos auſcultat, tumque tenaci,
Vndantes fodiens glebas, incumbit aratro.
Pone ſator graditur dimenſis paſſibus, inter
Cornices picasque: rigat terram aureus imber.
O! si indefeſſus fundat ſibi ſemen arator!
Ad ſua, si vitis deſtillet fronde liquores,
Ora, ſibique ſua reddantur ab arbore poma! —
At furit inſanum, furit inſatiabile bellum!
It comes infrendetque fames, diraeque cateruae
Depopulantur agros defletaque vota coloni.
Grandinis, Aeoliis vibratae Aquilonibus, inſtar,
Frugiferos feriunt culmos ac palmitis uuas,
Innocuasque caſas lucosque libidine ſaeua

Incendunt. — Vbi ſum? procul alta cacumi-
na montis
Fulmineis armis gladioque micante coruscant;
Igniuomae nubes patulo glomerantur hiatu,
Horrificosque cient tonitrus et ahenea iactant
Pondera: triſte ſolum lacerata cadauera com-
plent.
Fallor? an ipſe oculus coeli, ſol omnia lu-
ſtrans,
Caedem auerſatus, tenebris operitur opacis?
Florentem, en! iuuenem! Socio tremebun-
da reponit
Membra, tenet fugientem animam undantem-
que cruorem,
Seque reuerſurum poſt tot diſcrimina ſperat
Sponſae in complexus, ac longi praemia amoris
Proh, fruſtra! fidis languendo carpere labris. —
Occidit, heu! — Lacrimis ſoluetur ſponſa,
tibique;
Poſteritas, vates ſacer, *hac* *) pereunte,
peribit. — —

*) Vitiatus mihi hic locus in verbulo: **ihr**, videtur, et legendum potius:
In ihm wird ein Lehrer der Nachwelt, ein heiliger Dichter erblaſſen,
quasi diuus auctor ad se ipse alludat, et mortis genus, quo postea vere obiit, sibi vaticinetur. Legat igitur, cui placet: *hoc* pereunte. Nihil impedio.

Vos, quibus ingenua ſub libertate morantes,
Clauum et opes terrarum auſae committere gentes,
Vosne pudet, miſeras proprio deperdere ferro?
Vos, hominum patres quos gens humana ſalutat,
Si iuuat usque nouam ſobolem numerare beatam,
Quid natos emitis maiorum ſanguine fuſo?
Me, reges, audite! ut vos Deus audiat ipſe:
Reddite meſſori falcem, agricolaeque caballos
Sponte ſuos! — Agite, o! date vela Orientis ad oras,
Diuitiasque ſuas pandat maris inſula vobis!
Huc plantate nouo generi viridaria laeta,
Palladiisque hortis cuſtodes indite cautos!
Praemia ferte probis, ornateque honoribus illos,
Quorum illuſtratur nocturna lampade mundus!
Explorate caſas, procul alto limine regum,
An ſapiens forſan ſoli ſibi viuat in iſtis?
Hic populo iudex, regionibus arbiter hic ſit,
Hic feriat ſcelus inter celſa palatia, flentis
Virtutis vindex, miſerosque iuuare paratus! —
Jam, mea Muſa, ageſis! mecum pete tecta coloni,

Nec te poeniteat vidiſſe domeſtica ruris!
Non Paria ascendunt nitidis hic marmora fulcris,
Nec curui ſtatuis athletae preſſa reclinant;
Nec de longinquis deducta canalibus, unda
Artificis magnis patiens obtemperat auſis.
Arbor, amica quies ataui, ſub culmine cuius
Tres ipſe aetates vixit, parat aedibus, umbras,
Vitibus intextis, obuallatisque rubetis.
Iuxta porrigitur lacus — excipit inſpectantem
Altera me coeli facies (immenſa vorago!)
Dum ſuperimpendens ſecum vehit altera nubes.
Hirſutis gallina dolet prope littora plumis,
Excluſasque anates vocitat clamore tenellas
Moerenti: at proles maternas improba curas
Deludit, per aquas plangensque tetrinnit in ulua.
Gratitat hic longo collo, inſurgentibus alis,
Villoſumque canem de pullis, anſer, abarcet:
Tum crocei foetus inter ſe ludere certant,
Plumoſumque caput merſi ſub gurgite, pendent
Aequali grauitate ſuis, pro remige, plantis.
Proſilit inde agilis properante puellula greſſu,
Pictaque dependet teneris fiscella lacertis:
Inſequitur longe gradientum turba gracillans
Gallinarum: aſt illa prius laſciua morata,

Nunc vano incaſſum iactu fruſtratur hiantes;
Nunc ſubito granis perfundit, easque viciſſim
Tum ſibi de dorſis videt inter iurgia veſci.
Exſerit hinc latitans niuea ora cuniclus in antro
Subtimide, rubeos et circumuoluit ocellos.
Hinc et laeta ſuo prodit lare flaua columba,
Ceruicem pedibus rubicundis ſcalpit, et alas
Suffodiens, tenero candentia pectora roſtro
Vellicat, atque marem tecto propiore ſalutat.
Verum indignatur, multumque immurmurat ore
Zelotypus, circumque rotat ſe laeſus amator.
At iam blandiculae precibus mollitus amicae,
Accedit, plauſuque gemens, rogat oſcula: dantur
Plurima: tum pandunt alas, tenuique ſuſurro
Trans hortum celeri penna liquidum äera findunt.
Vos ſequar, o tenerae, quo ducitis, ibo, columbae!
Quam nitide verna decoratus veſte coruſcat
Hortulus! exhalat quot textilis arbor odores!
Quas veluti florum nubes genialis ab almis
Frondibus inglomerat Zephyrus! iam ſidera verſus
Aufert, iamque iterum niueo terrae imbre reportat.
Non poſuit plantas hic audax nauta remotas

Aethiopum, nec opacat rarior herba fene-
ſtram.
Vtile miſcendo pulchris, hoc utile miſtum
Agricolam iuuat, aut Cerealis forte corolla.
Stant prope conuexa veluti teſtudine iunctae,
Circumeuntque domum coryli, monſtrantque
ſuperne
Per folia aethereum decus, et vaga nubila
coeli,
A tergoque lacus, ſiluas monteſque tumentes.
Haec oculis iterum ſpatioſa theatra pererro,
Ductus at adſpectu propiore, relinquere co-
gor.
Quis tibi Phoebeis radiis impleuit apertos,
Tulipa pulchra, ſinus? celebrarem carmine
primum
Te, florum o princeps! si non roſa diua ſu-
perbas
Multiplicis formae Veneres, et purpuram a-
mantum,
Spinoſoque throno fulgens, tot haberet odo-
res.
Hic, vix nata, ſuis mihi ridet honoribus illa;
Hic niueos globulos mihi conuallaria, rupto
Germine, protrudit tenero: hic ſuffimine dulci
Coeruleos aperit calices hyacinthus, et auras
Imbuit: hic efflat leucoium balſama, et alto
Auratos circum radios de ſtipite ſpargit.
Heſperis interea florum genus omne ſuper-
bum,

Noctis amica, ſinit iactatos perdere odores:
Ipſa ſuos claudit bene prouida, ſperat et inde,
Decedente die, faſtus tenuare diei.
Scilicet exemplar magnorum et imago animorum,
Quos non, ut timidos, mirantum turba ſtupeſcens,
Heroas, ſtimulat; quibus eſt pro munere virtus,
Gloria ſumma quibus, ſine teſte, ſilentibus umbris,
Munificae mentis redolentia ſpargere tura. —
Adſpice, ad areolam fulgentem ut turget amictu
Pauo ſuo? circum denſantur, ſidera tanquam,
Purpureusque amaranthus, Florae fuſcaque proles,
Auriculae, rutilo conſperſae puluere: iuxta
Aemulus incedit, panditque ſmaragdinus orbem,
Ceu pluuios arcus, variantia collaque torquet.
Aduolat huc illuc pictis petulantior alis
Papilio, leuis et florum nunc inſidet herbis,
Nunc modo libatas fugit, ambigueque requirit,
Quas ceraſi frondes, diſſectis arte, magiſter
Horti, ſpinorum truncis inſeuerat olim,
Qui ſic nutritos nunc admirantur alumnos.
Hic ſedet umbroſa ſub vite hera, Gratia ruris,
Et texit frutices floreſque in carbaſa ridens;
Blandiculus iuxta teneris hanc impedit ulnis

Infans, deliciae Charitum, dum ludit in herba
Secum alter viridi, balbus meditansque loquelas,
Nafcentes fenfim ideas euoluere tentat.

O quater et quoties non eft numerare beatos,
Inuidia quibus, et curis faftuque remotis,
Vita, velut clarus per flores labitur amnis!
Intumeant alii curru celebrante triumphum, et
Haerenti arboribus tectisque, inuecti elephantis,
Attonito praeftent fpectacula grandia vulgo!
Vel ftupeant ipfos alii fe, marmore viuos
Aereue fpiranti, ftratis circum undique feruis!
Carior ille Deo, coeloque beatus ab ipfo,
Qui procul infano ftrepitu, prope murmura fontis,
Somniat, euigilat, canit! illi purpura Phoebi
Aurorae irradiat portas, et tura vaporant
Pafcua, et ingeminat cantus Philomela; nec illum
Perfequitur ferus dolor aut vitiofa libido:
Nec tremulas inter fegetes, armenta nec inter
Dumiuaga, aut feptos thyrfis in colle racemos.
Condimenta fuis dapibus iubet effe labores:
Hinc validae vires, leuis hinc fibi fanguis, ut aether,
Et matutino reuolantes äere fomni. —

O! utinam veſtris, dulciſſima rura, ſub umbris
Proiectus, quoque ego, prope ſaxa loquacia riui,
Redditus ipſe mihi viuam, triſtesque querelas
Committam procul hinc portare ſtrepentibus auris!
O! utinam *Doris* lacrimas ibi tergat ab iſto
Ore, leuetque mihi ſociorum ſermo dolores!
O! manes inter fantes ſapientia, plenis
Ceu riuis, animum ſitientem noscere rerum
Edoceat cauſas, ſuaque ad primordia ducat!
Tum ſibi de ſolido montes adamante rigentes,
Et caueas auro grauidas ſibi Caeſar haberet
Indicus! erigerent cellſae tum rupis ad inſtar,
Belligeri ſibi Pygmaei, ſaxoſa, coloſſos,
Flumina fundentes: nunquam mihi pectora liuor
Tangeret inuidiae! — Coelum, o! fons alme bonorum,
Largifluum mare inexhauſtumque perennis amoris!
Fac, mea dimanet languentia ad ora ſalutis
Guttula parua tuae! Num ſic mihi tota peribit
Vita, velut lolio flos ſuffocatus amaro? —
Sed mihi iam placido noua ſpes ſolamine ridet,
Tuque tuum (dubitare nefas) opus ipſe beabis,

Summe Deus! fulget, tenebris, Aurora, repulsis,
Quaeque prius latuit, denso velamine mersa,
Sors ventura, mihi cito panditur: auferor illuc
Longe alias rerum ad scenas ignotaque rura.
Te video, coeleste decus, te, *Doris!* imago
Diuarum, video! Per amoena rosaria, blanda
Maiestate meas inuisis amabilis umbras!
Ingreditur *talis* Virtus, et Gratia *talis!*
Concinis ad citharae numeros; et nubila Phoebus
Spissa serenatus subito perrumpit, in auris
Murmura mutescunt, auscultat Olympus, et Echo
Leniter e longis carmen mihi montibus affert.
Tuque, mihi fidos, *Gleimi!* prior inter amicos,
Tu, descensurus claris de rupibus Haemi,
Teïa dulce moues fila: expanduntur Olympi
Ostia; coeruleas fulgens delapsa per auras,
Nube relucenti, Charitum intermissa choreis,
Cypris adest, Cypriusque puer. Diuina caterua
Accinit his modulis, stellataque regia coeli
Respondet: resonat laetis concentibus aether.
O *Par* dulce (meae solamen et una voluptas
Vitae!) concessum diuino munere nobis!
Huc ades, huc propera! tecum mihi gaudia ferto,

Elyſiumque tuo iubeas e tramite nasci!
Sed quid? — an euigilo? ſomni quis amabilis error
Deluſos tenuit ſenſus? — coeleſtia viſa,
Quo fugitis? fugere procul! Nimis, ah! nimis auſus
Fortunae demens confidere, plura petiui,
Quam miſero licuit mortali! abiere caducas
In ſpes vota mihi; nec adeſt, niſi ſola ſuperſtes
Vmbra voluptatis: fugit ipſa, fugitque perenne!

Verum ego quid crucior venturi in imagine fati,
Et moror, excuſſa curarum mole, potiri
Deliciis, quarum mihi iam conceditur uſus?
Quid vetat, immiſtum, denſis me condere lucis,
Agricolis laetis, et te, Philomela, canente,
Concinuiſſe, et ubi querulo ſe murmure torrens
Praecipitat, blandis Zephyri gaudere loquelis?
O nemorum ſedes, rerum genitricis ab ipſis
Conſertae manibus, caligantesque receſſus,
Largiti tenebris menti noua lumina veſtris,
Et vos, Daedaliis iucundi erroribus, horti,
Terque quaterque mihi ſaluete! O gaudia quanta,

Quam ſecura quies animum, mollesque dolores
In vobis penetrant, ubi frondea tecta, ſtrepenti
Äere mota, ſubit diſperſis aurea paſſim
Phoebi fax radiis, velutique virentibus infra
Vndis, dulce gelu tremulas interfluit umbras.
Ambrosii circum per amica crepuscula ſiluae,
Florigeris rapti arbuſtis, labuntur odores,
Spirat et imbutis redoletque Fauonius alis.
Inde ſedet, florum thalamo proiectus, aperte
Frondibus efficto criſpatis, paſtor in antro;
Nunc calamos acres inflat, nunc ceſſat, et audit
Carmina per fagos reſonare: hic fortius, illic
Lenius, et ſenſim ſenſimque perire: priores
Tunc iterum repetit cantus, iterumque silescit.
Infra praecipiti pendent de rupe capellae,
Carpentes ſalices et amaras dentibus herbas.
En! celeri pede cerua ruit furiata: ſequuntur
Fronde coronati, facto velut agmine, cerui,
Per viridesque ſtrepunt frutices, per ſaxa, per amnes,
Nullaque arundineas volucri de mole lacunas
Signa relicta premunt. Stimulante libidine verna,
Proripiturque, ſolumque ferox cita pulſat equorum

Turba, iuba volitante, nemusque per omne
vagatur.
Intremit et clangit tellus; faliuntque micant-
que
Venarum tumidi rami, diffufaque cauda
Luxuriat; fpirant aeftum Veneremque fu-
rentes,
Nec mora, prorumpunt alto de littore, fractis
Fluctibus, in gelidum, fitientes frigora, flu-
men.
Tum fuper infultant vallem, celfisque petitis
Rupibus, in campos humiles filuasque relictas
Aera per tremulum fpectant, et nubila terrent
Hinnitu. — Simul et praeteruoluuntur, et
ignem
Naribus exhalant ingenti corpore tauri;
Cornibus infindunt terram, et nebulis furi-
bundi
Puluereis titubant; alii bacchantur in antris,
Mugitusque edunt raucos; alii fuper arua
Sublati, fummis de faxis praecipitantur. — —
Hinc de monte cauo vafto cum murmure tor-
rens
Deiicitur vallem in nemorofam, et fragmina
fecum
Fert fcopuli, et nudas radices arboris undis
Diluit: illa gemens, iamiam lapfura, fluentis
Innutat fpumae cumulis. Viridaria filuae
Haec lugent refonantque: ftupet fera et au-
fugit inde;

Aufugit et volucrum, tanto pauefacta tumultu,
Iam propior, pennata cohors, medioque resiſtit
Carmine, pacatisque inuentis ſedibus, inter
Arboreas ſiluae, multa ſub fronde latescens,
Pyramidas, dulci ſociae ſua vulnera pandit.
Tum ſecum cantu certant de culmine fagi.
Hic ego blanditias alacres ſpeculabor amantum —
Lenius, irrequiete, fluas, o riuule! vosque,
Impliciti foliis, Zephyri, mutescite! veſtro
Nec teneros gemitu temere turbate ſuſurros!
At, nemorum reſonate chori! reſonate, coloni,
Acrius, äerii! et me carmina veſtra docete!
Iam reſonant! — circum de quercu deque rubeto
Peruolitant moduli numeroſi umbracula lata;
Fit nemus omne chorus! Linaria auisque, rubensque
Argutum ex alni, fringilla, cacumine tinnit.
Per frutices ſalit hinc reſilitque, nitentibus alis,
Cardûelis, tribulum florentemque adſpicit: ipſum
Carmen ut ipſa ſalit; foliórum e tegmine moerens
Vota tenella acalanthis lamentatur amicae,
Incolaque ulmorum, baſſis modulatur in odis,

Voce caua, merulus. Solos modo, laudis auara,
Vox alata, petit, Philomela pusilla, recessus,
Fornicibus densos frondosis, templa perennis
Tristitiae (quô se velamina noctis opaca,
Late quae texere polum camposque, videntur
Contraxisse, umbris Aurorae luce fugatis)
Horrendumque Chaos iucunda in Tempea vertit.
Hinc tenebrosa palus salicetis cingitur udis:
Illa ibi, frondibus innutans, ciet ore sonoro
Acre melos, vocemque rotat torquetque vibratque;
Antra nemusque sonant: chordarum mille putares
Infremuisse choros. Gemitu nunc mollius infit
Multiplici, et carmen flexus per mille volutat;
Nunc iterum validis cantus intentior urget
Spiritibus. Coniux cauea si forte virenti est
Aucupis immitis decepta incauta, latentis
Post tiliae frondes, tunc carmina laeta silescunt,
Anxia tunc circumuolat, et sua gaudia frustra
Perque specus vocitat, saltusque et saxa, gemitque,
Donec semianimis tandem, hinc illinc titubando,
Demisso capite, excipitur collapsa vepretis.
Tum se lugentem putat umbram cernere ademtae
Coniugis, aut multo rubefactam vulnere pectus.

Tum demum queſtus et lamentabile carmen
Inſtaurat noctesque diesque, omnique recenti
Cum gemitu exhalare animam moribunda videtur.
Silueſtres cliui miſerantur talia, et ipſi
Hos inter luctus ſuſpiria triſtia miscent.

Aſt, ibi quid trunco crepitat de robore quercus
Semiputri viduoque auibus ramisque, cachinnans?
Decipiorne ſono vano? ecce! e ſtirpis hiatu
Prouolat arboreae penna variante palumbes.
(Haec ſtrepitus raucos generauit in ilicis aluo)
Protinus expanſis in vallem labitur alis,
Perquiritque umbram nictando, cautaque circum
Fert oculos, roſtro virgulta arentia portans. —
Quis docuit nidos ſibi concinnare colonos
Ramorum artifices, tenerisque auertere curis
Crudeles raptus, inſultus atque proteruos?
Corda quis occultus ſua ſpiritus afflat amore? —
Per *Te*, quae bona ſunt, ſummum et mirabile Numen,
Omnia ſunt! Mundi rector genitorque perennis!
Magnificant ſimili *Te* laude auis illa, latenti
Quae ſub vepre ſalit, quam celſi limen Olympi,
Vermiculus repens, Cheruborum ac flammeus ordo.

Aequor inexhaustum sine fundo et finibus! ex *Te*
Omnia promanant; refluit nihil. Ignea coeli
Aequora siderei, quid sunt, nisi languida inersque
Particulae minimae, qua luces, lucis imago?
Tu minitare: procella silet; tangis iuga: fumant.
Horrificus rabidi fremitus maris, inter aquosos,
Sedibus ex imis, scopulos, nudantis arenam,
Elogium decorum mugit sublime *Tuorum*.
Flammiferis alis armata tonitrua vasto
Murmure *Te* reboant, *Tua* facta stupendaque narrant.
Perculsae trepidant sacro terrore, *Tuas*que
Ingeminant, siluae, laudes. Per mille canoros,
Auditos animis, hymnos, radiantia pandunt
Agmina stellarum per utrumque polum orbis, amorem,
Munera, vimque *Tuam* maiestatemque tremendam. —
At quis, magne *Pater! Tua* tot miracula fando
Enumerare valet? Tranare quis aequora compos
Numinis alta *Tui?* Ventorum fidite pennis,
Fulminis et telis inuectae, mille per aeua
Fulgidiora *Dei* penetrare studete barathra:
Attamen, imbelles animae, estis denique fundo,

Ne puncto, propius, quam primo audente volatu!
Quin, tremebunda ſiles, chelys, et ſic laude ſilendo
Concelebras meliore *Deum* —. — — —

Flumen odoriferum, prato e propiore quod affert
Lene ſuſurrantis Zephyri mihi flamen, ad ipſum
Me trahit inuitatque. Hic fuſus arundinis inter
Stridores, florumque ſinu ſusceptus, auaris
Hauſtibus illa bibam ſpiramina! Adeſte, Sodales
Palladis, o *Spalding Hirzel*que! quibus mihi nuper
Ipſa virebat hiems, quorum ad mea corda voluptas
Defluit e labiis! Agite! huc requiescite mecum
Iſtaque coeleſtes in ſedes vertite rura!
Hic libeat Florae ſobolis Veneremque decusque
Mirari! aut ſertis cincti ridebimus una
Ignauum, aurato conſpectum, vulgus, in oſtro.
Dicite delicias virtutis! dulcius oris
Eloquium veſtri roſeis mihi odoribus eſto!
Hic Charitum Tempe, hic textos nulla arte, pererrat
Grata quies, hortos; claris hic gaudia riuis

Adſiliunt. Ornant cytiſi viridaria, florum
Diſperſae ſiluae; ſuaues, maris inſtar, odores
Labuntur tumidis, viſum fallentibus, undis,
Spiritibus moti tepidis, ſuper arua. Colonis
Mille animatur ager ſpecioſior. Ecce! per udas
Excelſo graditur pede cannas, oreque circum
Ieiuno ſub aquis alimenta, ciconia, quaerit.
Geſticulatur ibyx ibi curuis tortilis alis,
Cum gemituque caput, nidum petulanter adire
Audentis, pueri circumſtrepit: inde volatus
Tanquam oblita ſui, prope ripam claudicat, et ſic,
Fraude pia praegreſſa, ſequentem in deuia vertit.
Hinc, illinc, varie diſperſa, per äera ſtrident,
Inſiduntque, velut ros lunae fulgidus auro,
Agmina apum, cytiſo fruticumque virentibus herbis.
Tum ſaturae repetunt, ipſis quod in angulo agelli
Impiger e textis, conſtruxit forte colonus,
Cratibus, oppidulum. Sapientum talis imago,
Quos procul a patria remouet generoſa cupido,
Vt varios hominum mores, arteſque ſalubres
Ediſcant, olimque domum cum foenore multo,
Dulcia portantes doctrinae mella, reuiſant!
E medio vallis, fugientibus inſtrepit undis,

Anfractu lacus; hinc praeceps exſurgit in altum
Arboribusque virens, variisque incincta frutetis,
Inſula, quam velut auulſam tellure, putares
Fluctibus oppoſitis innare. Sine ordine mixtim
Inſuper (at ſua gratia ineſt) tanquam igne coruſcans
Sidereo, roſa ſilueſtrisque, cydoniaque adſtant,
Aſpera iuniperi fruticetaque ſambucusque,
Cumque periclymeno, circum ſerpente rubeta,
Exſerit implicitis ſe palma tenella lacertis.
Frondibus inſigunt iuueniliter oscula frondes,
Adſpirantque ſibi dulci cum flamine amorem.
Arbutus ad ripam, velut ante ſuperbior omnes,
Lympharum innutat ſpeculo, florumque ſuorum
Candidulum rubeumque decus ſtupet ipſa ſub undis.
O! qnae laetitiis, nitidiſſima ſcena, tot almis
Pectoris ima beas penetralia, tincta tuorum
Effigie decorum, ah! ne te, precor, inuidus aeſtus,
Nullo, poſt abitum brumae lenitus ab imbre,
Laedat, et ornamenta, heu! iam languentibus agris

Aut hortis rapiat, ſpem fruſtreturque coloni!
Funde, age! funde fauens tandem tua munera, coelum,
Deſuper in terram! — Venit, o! venit, ecce, benignis
Fertilitas e nubibus; hinc, velut ipſa laborans
Mole ſua, largis mox delabetur in undis.
Iam Zephyri anteuolans ioculatur in arbore flamen,
Et folia, et ſegetes fluitantes, vorticis inſtar,
Inglomerat; nebulis, tenero ceu vellere lanae,
Sol, leuiter textis properat ſuccedere; ſenſim
Langueſcit iubar aethereum, et iam largior umbra,
Noxque, iugis altis, et vallibus incubat, atra.
Mota ſuperficies undarum albescit, et orbes
Orbibus incrispans, ipſo pereuntibus auctu,
Inſtantem, nondum viſum licet, indicat imbrem.
Denſior inde, velut transuerſis, äera, telae
Staminibus, reſecans, tanta descendit aquae vi
Stridulus, ut vix ſint mihi tegmina tuta ſub alno.
Plebs auium, vario, modo quae demulſit ab auris

Carmine, rura, ſilet, ſiluaeque absconditur
umbris;
Lanigerumque pecus philurarum in valle, latescens
Frondibus, ad truncos gyris ſtipatur in arctis.
Campus et aura ſilent, iuga ſunt habitantibus
orba,
Solaque per nimbos, pluuiis et amica lacunis,
Trans fluuios, multa iaculatur, hirundo, caterua. —
At, quibus ante oculus palpebris orbis, opertus
Delituit, nebulae, liquidas tenuantur in auras.
Area nunc fulget coeli, pendentia cernas
Nunc maria exſolui, et nitidis vanescere guttis.
Florigerae rident valles, atque omnia gaudent,
In terram veluti si coelum defluat ipſum.
Attamen Heſperiis procul e regionibus adnant
Praegnantes iterum nubes, lucemque renatam
Impediunt, et agros foecundo flumine lactant.
Hae quoque diffuſae tandem vacuantur, et
imber
Aureus ex radiis, puro micat äere rurſus.
Vitta virens rupis, coeleſti imbuta liquore,
Ad ſolem variante vibrat iubare. Ambit
Olympum
Iris, in Oceano ſeque adſpicit. Integra rident
Luce noua mihi rura, nouisque ſmaragdina
ſertis

Irradiata nitent. — — Age, pinge coloribus ipſis
Aurorae hanc ſcenam iam Tu mihi, carmine cuius
Aeterno, ripae, quibus Arola cingitur, halant,
Ante oculosque mihi pulchra ſub imagine florent;
Qui, cantu decorata Tuo, fulcimina coeli,
Eſſe iubes, Alpes; laudum monumenta tuarum! — —
Quam liquidis tanquam cryſtallis prata relucent!
Quam de floretis pictis, fruticumque corollis
Suauiter aethereus guttatim depluit humor!
Acrius herbarum recreata vireta vaporant,
Omnis et eſt äer fragrantia. Laeta reſurgunt
Irriguae ſegetis capita, et ſic munera coeli,
Erectis ſurſum calamis, celebrare videntur.

Vos igitur, campi dulces, et prata, virete,
Vmbriferumque vire nemus, eſteque gaudia gentis!
Pandite perfugium tutum mihi! Sitis aſylum
Inſonti, si me ſcelus atque ſuperbia quondam
Arcibus expellant ac urbibus! O mihi porro
E vobis Zephyrus, de floribus atque frutetis
Otia ſolamenque nouum in praecordia ſpiret!
Sit mihi fas porro, mundi Dominumque Patremque,
Qui pariter clemens radianti turbine ſolis,

Ac rore et pluuiis, in vos ſua dona repandit,
In veſtris opibus celebraſſe, ſacroque tremore
Praecinuiſſe ſuas laudes recinentibus aſtris!
Eius et imperio si vitae terminus inſtat;
Vltima tum veſtris requies mihi detur in umbris.

III.

MOTVVM

INTER

RVSTICOS SAXONICOS

ANNO P. C. N. cIↃIↃCCLXXXX

EXORTORVM

POETICA DESCRIPTIO

DENVO TYPIS EXCVSA.

MOTVVM

INTER

RVSTICOS SAXONICOS ANNO P. C. N.
cIↄIↄCCLXXXX

EXORTORVM POETICA DESCRIPTIO

....

Aufa minasque canam deteftandosque furores,
(Heu! meminiffe pudet) ruftica turba, tuos!
Ruftice Saxo, tuos (referens horrefco) tumultus
Bellaque, proh! patriae mota nefanda canam!
Si mihi Calliopes non eft tuba grandior, adfis
Conanti, et faciles dic, Elegia, modos!
Nil mihi fingendum eft: agitur res vera, meosque
Veridico Clio dirigat ore pedes.

****

Ver erat, et pleno defcendere Copia cornu
Ipfa videbatur Fertilitasque polo.
Germinat omnis ager, preffasque perambulat inter
Mole fua fegetes luxuriatque Ceres.

Gramina denſantur pratis, vitisque liquores
Iam tenero prodit palmite, Bacche, tuos!
Omnia ſpem faciunt meſſi: ſata, collis et hortus;
Sol fauet et tellus, aura polusque fauent.
Iam ſibi cultor agri diues felixque videtur;
Iam ſibi, iam gregibus ſat putat eſſe ſuis. —
Vae! mox ſe vana ſpe luſum ſentit, et amens
Iactat in iratum verba maligna Deum.
Torret agros aeſtus, moriuntur prata, nec imis
Vallibus, aut ſummis montibus humor ineſt.
Languet ouis, languent armenta, nec aridus amnis
Praebet aquam: ſterilis pabula terra negat.
Pro cytiſo pingui, pro molli ſurgit ariſta,
Aut nihil, aut, si quid, carduus atque filix.
Fide *Deo!* ſuadent ratio pietasque, iubentque:
Fide *Patri Patriae*, maſcule Saxo, tuo!
Nil deſperandum tanto Duce et Auſpice tanto,
Auguſti tectus Numine ſoſpes eris.
At furor et rabies, Stygiis emiſſa tenebris,
Torta velut coeco turbine corda trahit.
Protinus inuadit maleſuada licentia Galli
Seruorum mentes ruſticitate feras.
Iam non agricolae votis precibusque, ſed armis
Quaerere ius et opem ſubſidiumque ſtudent.
Factio ſit dicto citius: ſociantur ad Albim
Cum ſenibusque puer, cum puerisque ſenex.

Infima faex plebis concurrit et omnia miſcet,
,,Excutiamus (ait) quid vetat? omne iugum!
,,Euigilate, viri! quid enim cunctamur inertes?
,,Laſſa quid vlterius terga grauanda damus?
,,Abſit ſeruitium! dominatus (clamitat) abſit!
,,Seruiat aut dominus, si placet, ipſe ſibi!
,,Pabula cum deſint armentis, pabula tellus
,,Communis, fruges detque alienus ager.
,,Ite igitur, quondam Domini, procul ite, Tyranni!
,,Sit vobis, veſtris ſit gregibusque male!"
Vix ea dicta, adeunt magno cum murmure villas,
Verbaque viperei fellis ab ore vômunt.
,,Huc ades (exclamant) legum contortor et aequi,
,,Fraudis amans, noſtro ſanguine, hirudo, ſatur!
,,Raptor eras vulturque vorax pro iudice, cuius
,,Nemo bonus turpi tutus ab ungue fuit.
,,Redde tuos raptus tua furtaque, redde minori,
,,Aut viduae aut feſſo, quae meruere, ſeni!
,,Huc et ades, nobis quondam metuende Dynaſta,
,,Dives opum, noſtra ſuppeditante manu!
,,Cui noſtri immerito dudum traxere iuuenci
,,Triſte iugum, noſter rura ſubegit equus.
,,Iam ſapit et vulgus; iam tot crudelibus auſis
,,Sit modus ac finis, Regule parue, tuis!
,,Redde tuas ceras, veterum promiſſa, dataque,

„His uti nunquam polliceare, manu.
„Heus! vbi iam tua vis? vbi tam celebrata poteſtas?
„Imperiumque tuum eſt, iuraque priſca tua?“
Qualis, cum torrens, niuibus brumalibus auctus,
Voluitur, et rapido ſpumeus amne furit;
Limoſus coeno et tumidus mox, aggere rupto,
Fertur, et immani gurgite ſternit agros;
Sternit ſaxa, domos, ſata laeta boumque labores,
Irruit, et praeceps obuia quaeque rapit:
Talis erat facies orti confuſa tumultus,
In ſua ſic ſaeuit viſcera, iuncta cohors.
Vix ea poſteritas, vix tot maleſana parentum
Auſa, nepos melior credet habere fidem. —
O miſeri! miſeri! quae vos dementia perdit!
Quam ſceleratus agit pectora veſtra furor!
Nil procerum poſſunt promiſſa minaeque, nec vlla
Iuſſa magiſtratus vim cohibere valent? — —
Vis glomerata ruit; longe lateque per agros
Ruſtica bacchatur turba fremitque minis.
Agmen agreſte ruit, manibus furor arma miniſtrat,
Iamque ſudes circum duraque ſaxa volant.
Saeuit inops animi (viſu miſerabile!) vulgus,
Ora fluunt ſanie, luminaque igne rubent.
Vt, quem dira fames trahit, inſidiatur ouili
Aut lupus, aut aprum deuorat ore leo:

Sic pecudesque feras et oues ouiumque magiſtros
Terret, et inſequitur verbere, turba minax.
Nec ſata, nec ſaltus, latebrae obſcuraeue paludes
Confugium praebent praeſidiumque feris.
Silua ſuis luget temere viduata colonis,
Prata dolent, gregibus protinus orba ſuis.
Tecta domusque tremunt, tantisque exterritus auſis,
Fata ſiniſtra ſibi nobilis Ordo timet. —
Audiit haec *Princeps*, quo non eſt iuſtior alter,
Quoque nihil totus mitius orbis habet.
Audiit — atque gemens quaerit dubitatque, doletque
Dilecti populi crimina tanta *ſui*.
Dat propria mandata manu, deiectat ab arce
Fulmina, et irato torquet ab ore minas.
At tacito curas voluit ſub pectore, *Se*que
Vltorem ſentit, ſentit et eſſe Patrem.
Conuocat electos (ita Patre, ita Principe dignum)
Primores regni, conſiliumque iubet.
Maieſtas ſedet in vultu grauitasque tremenda;
Aſt amor et mollis gratia corda regit.
Sic, si rauca polum terramque tonitrua terrent,
Nubila ſol paſſim per tenebroſa micat.
Tum (ſit fas arcana loqui, quae pandere Muſa
Sola mihi potuit, ſola referre poteſt;
Sit mihi fas, audita loqui, reuerentia quamuis
Conatum impediat!) talia verba facit:

„Reddere iuſtitiam populo, mihi maxima lex eſt
„Semper, et imperii regula ſemper erit. —
„Tollite, si qua meis iniuria facta colonis,
„Demite, si nimium forſitan urget onus!
„Diues, inops vobis nullo diſcrimine agatur,
„Aut ſolus, dubia lege, iuuetur inops!
„Quae data damna meis, iubeo, reparentur ad aſſem,
„Exſulet hinc, iudex quisquis iniquus erat!
„Ipſe manu larga depromam munera, si quis
„Forte feris ſiluae paſtus agellus erit.
„Ante domanda tamen maleſana licentia vulgi,
„Legibus atque ſuus reſtituendus honor!"
Dixerat. Adſtantes tenet admiratio tanti
Principis, et magni Numinis inſtar habent.
Hinc prior, et meritis grauis et venerabilis annis,
Ore verecundo talia verba refert.
„Quae *Tu, ſumme,* iubes, iubet et ſapientia, *Princeps!*
„Ipſaque non alium iura dedere modum.
„Si tamen et noſtram fas eſt exponere mentem,
„Delige, qui peragant iuſſa, *repente,* Viros!
„Vtque ſecuturus ſubito ſit terror euntes,
„Si placet, a tergis, praecipe, miles eat!"
Accipit haec facili *Princeps* mitiſſimus aure,
Iuſſaque qui peragant, deligit *Ipſe,* Viros. —
O! mihi si liceat Veſtri celebrare per orbem
Nominis aeterno carmine grande decus!

O! liceat vati, Patriae firmiſſima fulcra,
Veſtra, nec indignis, dicere facta modis!
Ardua res Vobis datur; at nulla ardua Vobis,
Nec Veſtris maius viribus exſtat opus.
Fors iuuat audentes! ſed plus Prudentia: vincit
Haec, quando ipſa nihil tela manusque valent.
Haec Pharos, haec Vobis, tumidum tentantibus aequor,
Certa gubernatrix remigiumque fuit.
Itis — eunt comites Grauitas, Sapientia, Virtus,
Sique opus, et miles fulminis inſtar adeſt.
At Tua, Burgsdorffi, vox acrius enſe, Tuusque
Watzdorffi et Brandti, pectora ſermo ferit.
Obſtupet attonita circumſtans mente caterua,
E tremulaque cadunt arma ſceleſta manu.
Pars gelido culpam prodit pallore, nec audet,
Ante minax, oculos tollere, ſiue pedem.
Pars fugit ad ſiluae latebras, velut improba cornix,
Dum celſis aquilam nubibus ire videt.
Aſt alii, nullam qui iam ſperare ſalutem
Audent, turpe nefas et noua damna ſtruunt.
Per campos fuſi, merſique in pocula ſenſus,
Barbara de Thracum carmina more fremunt.

Increpitant temere patriaeque aulaeque miniſtros,
Increpitant leges, iura, tributa, Duces.
Te tamen, o *Princeps!* (tanta eſt reuerentia iuſti,
Tanta *Tui* pietas!) ſpicula nulla petunt.
Tum vero ardentes Bacchi Thyadumque furore,
Inter ſe exercent praelia ſaeua manu;
Horrendosque cient ſonitus, rabidoque cachinno
Alter in alterius fuſtibus ora furit.
At ductor teneram pinum radice reuulſam,
Vt libertatis ſit nota, figit humi.
Ilicet exoritur veſana per agmina clamor
Laetitiae, ſaltu concutiturque ſolum.
Lymphati titubant circum, culmenque coronant,
Atque nouis addunt cantibus usque nouos.
En! ſubito, excuſſis (viſu mirabile!) ramis,
In ſterili truncus ſtat ſine fronde ſolo.
Attamen ignarae mentes nihil omina curant,
Ipſaque Tiſiphone lumina capta tenet.
Arripiunt thyrſos, Martem in certamina poſcunt,
Sic et in offenſi militis arma ruunt.
Accidit, vt natus genitorem tunderet ipſum,
Accidit, vt geniti laederet arma pater.
Ocyus alarum magno intonat ore magiſter:

Prendite! mox prenſos agmina clauſa tenent.
Iam via nulla fugae; iam contra audentius ire
Fruſtra, cumque animis ſpesque furorque cadunt.
Si tamen eſt quisquam, qui vi, vel fraude ſalutem
Quaerat, et e media ferre cohorte pedem;
Nec mora, deuinctis manibus poſt terga reducto,
Verbera perque aures oraque crebra volant.
(Nempe pudet tingi populari ſanguine ferrum,
Saepe quod externis hoſtibus horror erat.)
Inde cateruatim frenantur carcere duro,
Et pauidi poenas ſuppliciumque tremunt.
Accurſant matres, pueri inſontesque puellae,
Femineisque forum fletibus omne ſonat.
Hic ſortem patris deplorat, at illa mariti,
Haec ſponſum et vitae gaudia lapſa dolet.
Attamen interea vicinis ſaeuit in agris
Graſſaturque pari ſeditione furor.
Adſunt, en! ſubito Praefecti, et verba minasque
Miſcent, et dictis concita corda regunt.
„Diſcite iuſtitiam, moniti, nec temnite leges!
„Publica res (aiunt), legibus orba, ruit.
„Veſtra ſalus agitur. Leges et iura beatos
„Efficiunt: demtis his, quoque demta ſalus.
„Horrendum monſtrum, diſcordia! Grandinis inſtar
„Vaſtat agros, peius nec furit vlla lues

„Motibus et bellis ciuilibus atque tumultu,
„Vrbes et pagi et maxima regna cadunt.
„Viuere qui felix, ſecura vultque potiri
„Pace, magiſtratus ſcita verenda colat!
„Ergo, agite, o! tandem reſipiſcite! Reddite vobis
„Vos ipſi! temere cur periiſſe iuuat?
„Sique iuuat, veſtrae ſaltem miſereſcite prolis,
„Ne, viuente quidem patre, ſit orba patre.
„Eſt *Deus*, eſt veſtri metuendus criminis vltor,
„Eſt *Princeps* vindex, qui fuit ante *Pater*.
„Iam quatit et vibrat iuſtiſſima fulmina dextrâ,
„Iam cadit in veſtrum tetra ruina caput.
„Reddite vos vobis; mora non datur amplius vlla:
„Poſthaec ſpes vobis nulla ſalutis erit."
His dictis emota, redit pars maxima frugi,
Conſiliique ſui flagitiique piget.
Accedit genubus flexis ad *Principis* aras,
Et lacrimis addit voce tremente preces.
Audit, et e placido ridet clementia vultu,
Iris vt, effuſis imbribus, axe nitet.
Cetera pars vinclis datur, approperante cohorte,
Et grege cum reliquo iudicis ora pauet.
Pallet et exhorret, dum ſiſtitur ante tribunal,
Auctoresque mali prodit, agitque reos.
Tum, ſatis expenſis rebus, ſententia fertur,
Dura quidem, at cauſa mitior illa ſua. —

Pandite nunc bifores, ergaſtula, pandite valuas!
Iam ſpatiis veſtris plurimus hoſpes adeſt.
Excipite o! ſontes triplici circumdata muro
Moenia, quae tumidis alluit Albis aquis.
Albis*) erat teſtis ſcelerum, ſit teſtis et idem
Poenarum, externos admoniturus agros!
Cardine porta gemit; reſident in limine Dirae,
Et Metus et Luctus ſanguineusque Dolor.
Veſtibulum ante ipſum tortor quatiente flagello
Increpat, atque auras terque quaterque ferit.
Saeuior ante alios, ſociis ita ſigna cruentis
Dat; repetunt triſtes antra profunda ſonos:
„Illa dies nobis (inquit) genialis agatur,
„Et potu et choreis et celebranda iocis!
„An ſenibus noſtris ſpectacula tanta videre
„Contigit? an nobis par fuit vlla dies?
„Eſte viri, atque operi iam vos accingîte veſtro;
„Iam veteri famae fama paranda noua eſt.
„Sique animi vobis, si deſint forte lacertis
„Visque vigorque: dabunt Bacchus et ambitio!"
Continuo trepidi latum coguntur in orbem,
Quos prius huc vitae crimen adegit atrox.
Scilicet exemplis caueant poenaeque timore,
A vitiis, vltro quos piget eſſe bonos!

---

*) Plerique Dresdae et Torgauiae poenas luerunt,

Tum vero ſeorſim ducti palisque ligati,
Ruricolaė poenas plusue minusue luunt.
Hinc exaudires gemitus et ſaeua ſonare
Verbera, perque vſtos ſtridere vincla pedes.
Terga tument liuentque, atro ſuffuſa cruore,
Tartareisque fremit planctibus alta domus.
„Parcite, tortores! moribundis parcite!" clamant,
„Parce, Deus, miſeros aut patiare mori!"
At ſequitur ſontes ferus irriſorque cachinnus;
Nec mora, nec requies, flagra per oſſa ſtrepunt. —

Sed iam, Muſa, gradum reuoca, atque immitis Auerni
Linque, malignorum tetrica regna, domos!
Excute iam ſordes, terroremque excute! carmen
Deſinat in laetis molle piumque modis!
Vt mare, cum veris reſplendet amabile ſidus,
Poſt Hyadumque minas Pleïadumque, ſilet;
Diffugiunt tumidi pacato ex aethere venti,
Atraque diffugiunt nubila, ſolque redit:
Sic animorum omnis turbo fluctusque reſidunt,
Patria quodque mali traxerat, omne fugit.
Nam *Pater Auguſtus*, ſolio dum ſenſerat alto
Auſa minasque ſuae gentis atroxque nefas;
Ter monitos grauibus poenis et carcere plectit,
Cordaque ſic furiis exagitata domat.

Attamen haud ſatis eſt, ita reſtituiſſe ſalutem,
Suppliciisue animos perdomuiſſe feros.
Qualis enim errantes pater, aequo ductus amore,
Caſtigat natos, munera fertque probis:
Haud aliter *Princeps*, ſcelerum iuſtiſſimus ante
Vltor, item teneri more parentis adeſt.
Mitigat et mollit poenas: reuocantur ab Orco,
Quos commiſſorum poenituiſſe, videt.
Praemia dat iuſtis, quibus imperterrita manſit,
Obſequioſa, tenax, nec labefacta fides;
Quos neque ſpes lucri, nec libertatis imago
Luſit, et a recta iuſſit abire via.
Praemia militibus dat, in arma domeſtica promtis
Non ſecus, ac inter bella gerenda foris;
Quorum dextra fides et virtus, fortior ipſo
Naturae dulci foedere, firma ſtetit. —
Ornat honore Viros, quos Palladis aegide tectos,
In medias turbas mens generoſa trahit;
Conſiliis quorum et grauitate et flumine linguae
Tutius, ac armis, patria ſalua fuit.
Vos igitur, Proceres, donis et honoribus ornat,
Implicat et veſtris ciuica ſerta comis!
Vos ego cum video, totidem vidiſſe columnas
Saxoniae videor Iuſtitiaeque mihi.

Gloria Vestra pio celebrabitur ore nepotum,
Venturusque Maro nomina Vestra canet.
Ornat Praefectos, vestigia tanta secutos,
Quorum pars et ego quantulacunque fui.
Namque Viris longe quamuis distemus ab illis,
Attamen in magnis et voluisse sat est.
Laudatur tiro, non quod deuicerit hostem,
Sed quia non inter praelia segnis erat. —

At *Pater* o *Patriae*, dignas *Tibi* soluere grates,
Quisue potest laudes enumerare *Tuas?*
Te Duce, Saxonicae datur aetas aurea genti,
Et potior lauru pinguis oliua viret.
Te Duce, sidereis Astraea relabitur oris,
Et fortunatam laeta reuisit humum.
Praemia cum poenis statuuntur legibus aequis,
Cumque bonis rediit legibus omne bonum.
Te Duce, Musarum reuerenda sacraria florent,
Artibus et pretium est ingenioque suum.
Te Duce, Relligio validis radicibus haeret,
Statque, velut pelagi fluctibus icta silex.
Hinc redit vbertas et pleno Copia cornu,
Hinc *patriae* robur, fama salusque venit.
O! mihi quam fastu generoso corda tumescunt,
Quandoquidem ciuem me vocat *illa* suum!

Extera trans Tiberim tellus celſamque Pyrenen,
Saxo Auguſte! Tuum ſeruat honore decus.
Te Rhodani potor, gladiorum aſperrimus vſu,
Bella licet moueat publica, mente colit.
Te colit Auſtriacum regnum, Boreaeque patentes
Campi; *Te* Pruſſus, Martis alumnus, amat.
Felices ergo nimium, quibus alma dedere,
Auguſtum, *Dominum*, fata, dedere *Patrem!* —
Quid tamen imbelli, temeraria Muſa, quid audes
Viribus atque elegis, carmine, maius opus?
Ipſe Sibi meritis monumenta perennia ſtruxit,
Inſeruit ſtellis nomen et *Ipſe ſuum.*
Non niſi vota decent: huc, huc accede, meisque
Iunge tuas precibus, Saxo beate, preces.
O *Deus*, o Regum Rex maxime, Conditor orbis,
Qui mare, qui terras, qui regis aſtra Poli!
En! iaceo ſupplex, et ſupplice comprecor ore,
Aſſonat et votis incola quisque piis!
Sis Pater *Auguſto*, ſis Auxiliator, vt *Ipſe*
Et Pater et nobis Auxiliator adeſt!
Dirige, quicquid agat; columen ſis rebus agendis,
Sis clypeus, quoties inuida tela petant!

Sterne *Suos* hoſtes, turmas contunde feroces,
  Paxque quiesque adſit finibus usque *Suis!*
Imperium creſcat! vitae fortuna futurae
  Creſcat, in excelſis cedrus ut alta iugis!
Numine tecta *Tuo*, *domus* omne vireſcat in aeuum
  Principis! vna ſalus ſit *Sibi* ſitque *Suis!*
Optimus eſt nobis; ſit *feliciſſimus idem!*
  Felix felici *Principe* Saxo ſuo!

• • • • • • • • • • • •

IV.
E L E G I

....

AD ELEGOS.

Ite, leues Elegi, noſtri procul ite, libelli!
  Iam ſatis in tenebris delituiſſe, liquet.
Ite foras! quid enim vultus metuatis iniquos,
  Cenſorumque graues inuidiaeque minas?
Fors iuuat audaces, pelagoque immiſſa patenti,
  Saepe leuis portum cymba ſubire ſolet.
Nomina noſtra quidem ſub aperta fronte geretis;
  Nulla patrocinii iura ſed iſta dabunt.
Si bona, ſi quaedam mediocria viſa; colori
  Ne nimium, moneo, credite: fallit amor.
Iam nec amicorum mitis ſententia, nec vos
  Defendet Latii docta caterua chori.
Sola igitur vobis quaerenda eſt gratia: ſolam
  Hanc vobis omni conciliate modo!
Nec, temere ingreſſi ſublimia tecta, potentum
  Limina puluereo commaculate pede!
Raro etenim decuit Muſas, radiantibus auro
  Porticibus modulis obſtrepuiſſe ſuis.
Verum, ſi quis erit media de plebe ſophorum,
  Cui fauor in placido mitior ore ſedet;

Huius adite fores, intromiſſique, decenti
Talia dicta bono voce referte viro:
„Ecce! procul patria nos huc deuenimus urbe,
„Quam prope frugiferam Roedera lambit humum.
„Nulla quidem nobis famae, neque nominis ulla
„Cura fuit: fuimus vermibus eſca diu.
„Iam prodire domo, nec noſtra ſponte, iubemur;
„Iam nos dimittit (iuſſus et ipſe) pater.
„Ancipiti haeremus pede ſubtimideque moramur,
„Et pudor incertos ſpesque metusque tenet.
„Nam, placidis olim qui carmen luſit in umbris,
„Non eſt, qui,*) Lauram dum celebraret, erat.
„Igneus ingenii vigor et vis viuida languet,
„Vixque rudem reddunt fila remiſſa ſonum.“ —
Heu nimium vere! quid enim celaſſe iuuaret?
Et melior certe cauſa fatentis erit.
Ite igitur, quamuis ſine cultu et flore, quod ipſa
Fata negant patrio vos refouere ſinu.
Carmina ſeceſſum ſcribentis et otia velle,
Exemplo monuit Naſo poeta ſuo.

---

*) refer. ad carm. germ. anno fere 1780. anonym. edita.

Me ſtrepitusque fori cumulatorumque laborum
Pondera, me curae mille metusque premunt.
Nunc importunis onerat mihi queſtibus aures
Ruſticus, aut iuſtam quaerit egenus opem.
Nunc lamentatur ſqualienti in puluere virtus;
Audio, deque genis gutta ſuborta cadit.
Nunc reus in vinclis temere conuicia iactat,
Moliturque nouos in ſua damna dolos.
Inſuper accedunt morbi, diſpendia, caſus:
Cui larga in tanto turbine vena fluet? —
Haec si iudicibus referetis apertius aequis,
Vos eritis tuti, tutus et auctor erit.

AVCTOR
CVM
IN ACADEMIAM SE CONTVLISSET

....

AD
BAVMEISTERVM
ANNO CIↃIↃCCLXXII

....

Omnia, quae quondam luſi puerilibus annis,
Carmina, nunc pereant, ni periere diu.
Multa*) dedi rapido Vulcano ſcripta, nec ullis
Parſurus, flammis qualiacunque dabo.
Iam volat in cineres ventoſo *Tullius* ore,
Iam vorat ignis edax *Caeſaris* omne decus.

---

*) Neque hoc iocose dictum. E compluribus enim cantiunculis, quas Gorlicii, XIIII. aut XV. annorum adolescens, effuderam, vix una alteraque superest; quae si forte huc recipiantur, hoc eo consilio fieri beneuolus Lector existimet, ut, si quando in manus eorum, qui tum mihi familiares erant, inciderint, ii quidem habeant, unde mei praeteritorumque temporum suauiter meminerint.

Tityrus et *Daphne*, tenera cum *Phyllide Mopſus*
Ardent, vixque rogum parua fauilla fugit.
In mea iam rigidi, fas eſt, ſaeuire Catonis
Viſcera more; vale, Muſa! valete, ioci!
Veſtra quidem inuitus viridaria laeta reliqui,
Pïerides! veſtras ſperno coactus opes.
Fletibus a vobis deceſſi, Numina Pindi,
Fletibus Aonium deſeruique nemus.
Nam vos, o Muſae, grato quod pectore ſeruo,
Feciſtis puero gaudia mille mihi.
Vos quoque non paruum mihi conciliaſtis amorem;
Gratus eram iuueni, gratus eramque ſeni.
Carmina ſcribebam, recitabam ſcripta, nec ipſis
Haec doctis prorſus diſplicuere viris.
At nunc fata iubent aliis intendere curis
Ingenium, atque animo voluere maius opus.
Nunc decet antiquos mores et diſcere iura,
Quae coluit populus, Roma vetuſta, tuus.
Nunc opus et patriae leges ediſcere, vel quas
Priſca tulit, vel quas fert hodierna dies.
Heu! mihi quam vaſtum miſero iam cernitur aequor,
Cuius parua ratis findere debet aquas!
Vix mihi felicem videor contingere portum,
Littoris adſpiciens ulterioris opes.
Multi obſtant ſcopuli; ſeries immenſa laborum
Tardabit vires remigiumque meum.

Quid faciam? temere pandam mea carbaſa ventis,
Et ſequar, imbellem quo ferat aura trabem?
An, quae littus habet peregrinum praemia, demens
Deſperanda mihi turpiter eſſe putem?
Proh pudor! ah! potius contra iuuet ire per altum;
Et ſtudium et conſtans omnia vincat amor!
Longa via eſt, longe disiunctas quaerimus oras;
Aſt opus incepto eſt. Qui bene coepit, habet!
Adſpice regalem puerum, quem nectare dudum
Fouit amans nutrix ambroſioque cibo:
Hic leuibus primum, cum dimicat, utitur armis,
Luctantique ſibi mollis arena placet.
Mox vero, tenera ſenſim labente iuuenta,
Cum iam membra vigor viſque virilis habet:
Tunc maiora iuuant, armis grauioribus inſtat,
Nec ludi, quondam qui placuere, placent.
Tunc init ardenti certamina pectore Martis,
Et laurum quaerit perpetuumque decus.
Hunc ſequar! hic famae generoſo incendat amore
Pectus, et exemplo nobiliore mihi!
Ite, mei quondam comites, Maro, Flacce, Tibulle,

Tuque ades, o Themis! o! Iuſtiniane*) pater! —
Poſt tamen exhauſtos terraque marique labores,
Ipſe Deos Heros otia tuta rogat.
Otia blanda rogat, claris potiora triumphis,
Partaque iam laurus diſplicet ipſa ſibi.
Diſplicet armorum ſtrepitus clangorque tubarum,
Proque tuba Martis lenis arundo iuuat.
Sic olim, gladios, flammas ſtragesque peroſus,
Kleiſtius agricolae gaudia *Ver*que canit.
Cur nobis igitur, quamquam diſtamus ab illis,
Non liceat calamo ludere, ſiue lyra?
His ſine vita mihi triſtiſſima mortis imago,
Exſilium miſerum nullaque vita foret.
Quid ſupereſt? Muſas Themidi iungamne, vel iſtas
Abiiciam prorſus deſpiciamque Deas?
Verſor in ambiguo; ſtudia in contraria ſcindor,
Nec, quid ſuſcipiam, quid fugiamque, ſcio.
At, niſi deceptum me ludit amabilis error,
Audio reſponſum, Vir venerande, tuum:
Sat bene conueniunt, et in una ſede morantur,
Gratia Muſarum Iuſtitiaeque rigor.

---

*) An syllaba: *sti* in *Iustiniano* recte corripi possit, ipse dubito. Sed alii idem ausi sunt.

....

AD PERILLAM

ANNO CIↃIↃCCLXXV

. . . .

Haec tibi de niueo defertur epiſtola monte,
Vnde ſuas primum colligit Albis aquas.
Quam precor, ut manibus caute tradatur et apte,
Siſtaturque oculis intemerata tuis!
Multi obſtant vigiles, famuli famulaeque: ſed inter
Tot vigiles tuto tramite vadet Amor.
Hic, veluti Proteus, ſumit ponitque figuras,
Quas lubet, et mira conſtruit arte dolos.
Hic, ne quid timeas, vel centum callidus Argos
Fallet, et inſidiis inſidiator erit.
Forſitan indutus citharoedi veſte tabellas
Has tibi, ſeu ſumto virginis ore, feret.
Quicquid erit, cito pande fores, intrareque iuſſo,
Surripe, ſarcinulae quod leue portat, onus.
Nec mora, dimittas: at pro mercede ferenti
Oſcula des, eadem reddat ut ipſe mihi.

Heu mihi! quam ſaeua genitor turgeſceret ira,
Quas, haec si legeret, ſpargeret ore minas!
Quam, velut indigno maculari ſanguine, gentem
Crederet, et noſtro nomen amore, ſuum!
Confiteor culpam, ſed ſic, amplectar ut illam,
Et malim, culpa quam caruiſſe, mori.
Non mihi diuitiae, ſed ſunt ſine crimine mores,
Solaque mens pretium nobilitatis habet.
Sunt mihi fautrices, si fas eſt dicere, Muſae,
Et placuiſſe tibi, ſtemmate maius erit.
Ipſe pater ſtatuit tibi me, mea vita, magiſtrum,
Atque faces facibus ſic dedit ipſe nouas.
Quin, tibi dum Latii tradendi carminis auctor,
Inſcius et noſtri fautor amoris erat.
Ipſe mihi dixit: „Theſauros pande Perillae,
„Quos gremio condit Roma vetuſta ſuo.
„Te duce, carminibus diuinae Aeneidos aures
„Applicet, et Troiae fata viroſque gemat.
„Aut, si tanta nimis moueant ſpectacula pectus
„Virgineum, Flacci praecine dulce melos.
„Naſo tamen, iubeo, caſtam quia Muſa puellam
„Caſta decet, veſtris exſulet usque ſcholis.
„Ipſa (nec impedio) Romanae more Perillae,*)
„Tentat in alternos cogere verba pedes.

*) Ovid. in Trist. ad Perillam.

„Tu rege conatus igitur, vigilaque, Perilla
„Ne niſi docta canat carmina, docta legat.“ —
Attonito ſimilis ſtupeo laetorque viciſſim,
Linguaque, tentanti dicere, verba negat.
Cor ſalit, ex oculis tener emicat ignis, et aegre
Suſtineo flammas diſſimulare meas.
O! nimium facilis, nimium crudelis et excors,
O Pater, et pariter ſaeue Tyranne mihi!
Mellea verba ſonas, ſed ineſt letale venenum,
Vox eadem vitam dat mihi, datque necem. —
Ter conclaue tuum peto, ſed ter limen ad ipſum
Pes mihi, dum trepidant corda, reſiſtit iners.
Ipſa mihi videor temerare ſacraria Veſtae,
Dum foribus digitos applico lene tuis.
Denique vincit amor: Muſis comitantibus intro,
Ora genaeque rubent, pectus amore calet.
Colligo mox vires vocemque, et iuſſa parentis
Ore verecundo trado, Perilla, tibi.
Excipis ingenuo vultu mandata paterna,
Atque mihi docilem te fore ſemper, ais.
Blanda manum praebes: manibus mox oſcula figo
(Igne fuiſſe Iouis feruidiora puto.)
Mens tua labe carens, nullius conſcia culpae,
Nil veritura ſibi, nulla pericla timet.

Saepe vale dicto, rurſus noua dicere tento,
Dicentique mihi reddis amica vices.
Denique, dum doctis trahimus ſermonibus horas,
Heſperus, en! ſero veſpere miſſus adeſt.
Luna mihi ſignat nitidiſſima, qualibus olim
Adſpexit radiis Endymiona, viam.
At neque me Lunae, Veneris nec amabile ſidus
(Tu mihi Luna, mihi tu Venus ipſa) iuuant.
Quo fero cunque pedes, oculis mihi ſemper inerrans,
Sidere fulgidior, fulget imago tui.
Forte per umbroſos horti Philomela receſſus
Dulciſonum tenero fundit ab ore melos.
Audio: ſed videor blandas audiſſe ſororum
Caſtalidum voces, ſiue, Perilla, tuas.
Verſor in Elyſio, viuoque, ſed inter ut aſtra
Coelicolumque choros mens rediuiua ſolet.
Hic mihi, natalis ſemper celebretur ut alter,
Hic, mihi quo vera eſt reddita vita, dies. —
Mane nouo redeo: mecum Maro, Flaccus, et ipſe,
Quem vetuere patris iuſſa ſeuera legi.
Si qua tamen caſtum poterat violare pudorem
Linea, mox oculis demitur illa tuis.
Sanctus amor ſanctos mores iubet eſſe, tuaeque
Fama pudicitiae propulit omne nefas.
Non ego corruptor vilis, ſed amator, ut olim
Arcadiae pueros credo fuiſſe, fui.

Candor et integritas dictant mea verba, tibique
Dum fateor flammas, ipſa fateris: amo!
Ex illo nobis nemo felicius arſit
Tempore, ſimplicior nullus amorque fuit.
Ah! quoties ſtudii cauſa conuenimus ambo,
Siue ſub arboreo tegmine, ſiue domi!
Tum pariter noſtros cantu celebramus amores,
Aut canimus laudes, ruſtica vita, tuas.
Saepe mihi recitas nitidiſſima ſcripta Latina,
Digna vel a ſera poſteritate legi.
Omnia laudaui, reprehendique omnia: cauſa,
Cur ego ſic facerem, ſat mihi magna fuit.
Sic etenim nobis ſancitum, ut ſponte magiſtro
Oſcula, si qua foret ſyllaba laeſa, dares.
Quam bene tum quaeuis librabam verba, tuasque
Quam nimis in poenas ingenioſus eram!
Saepe ais: „iniuſte culpas, rigidiſſime cenſor!“
Meque malae fraudis coniicis eſſe reum.
Protinus agnoſco ſcelus, et cum foenore multo
Singula, capta dolo, baſia reddo tibi.
Ipſa Venus noſtris arriſit luſibus: ipſa,
Seria dum loquimur, Pallas amica fuit.
Quam mihi tum faſtu generoſo corda tumeſcunt!
Quam mihi tum roſei praeteriere dies!

Praeteriere! nec, heu! quicquam niſi ſola voluptas
Reſtat, fortunae ſic meminiſſe meae.
Te, veniente die, te decedente recordor,
Fixaque ſtat menti ſemper imago tui.
Haec mihi, dum ſaltus et deuia luſtra pererro,
It comes, et lateri iungitur uſque meo.
Adſcendo ſummos apices, gradiorque per altas
Nimborum ſedes, fulminis atque vias.
Hic per inhoſpita te voco ſaxa, Perilla! *per illa*
Vox redit, et ſimili voce: Perilla, ſonat.
Eſſe loci genium, reor, aut iuga dura Sudetum
Ipſa, dolore meo mitia facta, queri.
Mox mihi, quae de te mihi venit epiſtola ſumma,
Perlegitur, labris ſaepe rigata meis.
Siue ego, proſpiciens ſpatium per inane, remota
Metior adſpectu rura domosque meo.
Aut video, aut vidiſſe puto per nubila ſedem,
Me niſi fallit amor, credula ſpesque, tuam.
„Hic recubat (clamo) mea lux ſub tegmine fagi,
„Atque leui ſomno languida membra leuat.
„Siſte tuos ſtrepitus, o riuule! tuque, Fauoni,
„Ne dominae turba ſomnia blanda meae!
„Seu petit amplexus vana ſub imagine noſtros,
„Seu meminit certe ſemiſopita mei.“

O! utinam possim ventorum insidere pennis,
Aeriasue leui findere mole plagas!
Quin nouus exsurgit (sed serius, ocyus ille
Exsurget) volucrum Daedalus arte potens? —
Ausus, Abydene, es freta per spumantia Ponti
Mascula turbato credere membra mari.
Me miserum! cui nec tranandum cernitur aequor,
Nec freta, ubi possim vincere, siue mori.
Maior Abydeno, certe illo audacior essem,
Tuque, Perilla, mihi Sesta puella fores. —
Infra me crocitant corui, specubusque relictis,
Per nemus et rupes et iuga lata strepunt.
Cur mihi non simili contingit degere sorte,
Nec datur arbitrio liberiore frui?
Libera iura dedit pariter natura: sed amens
Ipse cruenta sibi vincula cudit homo.
Stemmata quid prosunt? generis quid clara vetustas?
An minor est vano nomine pacta fides?
Splendor auûm sub amore iacet, contemtaque virtus
Antiquis longe praestat imaginibus.
Te petiere proci, gemmisque auroque nitentes:
Me tamen ignotum, me cupis esse tuum.
Te domus alta tenet, Pariis exstructa columnis:
Sed malles humiles mecum habitare casas.

Te non purpureae veſtes, pictique tapetes:
Te lyra, te fontes, gramen et umbra iuuant.
Poſtera te magnam celebrabit fama puellam,
Teque *Eloiſa* minor, meque *Abelardus* erit. —
Dum loquor, inſurgunt vaſto cum murmure venti,
Et mea puluereo turbine verba ferunt.
Voluitur hinc nubes, ſtridentibus horrida nimbis,
Per iuga, meque nigra nocte repente tegit.
Grandine quaſſa fremunt reſonantia ſaxa, nemusque
Ingemit, et fractis frondibus aura ſtrepit.
Fulmine tacta cadit, velut icta ſecuribus, ilex,
Flammaque per filicem, fortior imbre, furit.
Territus aufugio, repetens humilemque tabernam,
Corpora ſuccenſis ignibus uda leuo. —
At tibi, cui pectus Diui tam mite dederunt,
Interea ſpiret mitior aura, precor.
Sit tibi tranquillus ſine nubibus äer, ut eſſe
Mens tua, coeleſti Numine digna, ſolet.
Si tamen adſpicias ſurſum, pluuiasque Sudetum
Videris, atque mei tunc meminiſſe velis:
Protinus effulgens inter me teque nitescat
Iris, inaurato conſpicienda polo.

Haec radiata Deûm disiunctos iungat amantes
Copula, ſermonis ſitque miniſtra mei!
Nuntiet incolumem tibi me ſaluumque: ſed eſſe
Quae ſine te incolumis ſaluaque vita, poteſt?
O! ſimul et noſtrum reditum tibi nuntiet illa,
Exſiliique breuem iam ſupereſſe moram!
Quid mihi cum thermis? — Patruum comitatus, ut aegras
Reſtituat vires, deferor ipſe meis.
Quid mihi cum terris peregrinis, cumque Sileſis?
(Forſan et Egeriis mox cruciabor aquis.)
Terra paterna mihi eſt *Luſatia:* carior illa
Nulla mihi tellus, qua patet orbis, erit.
Haec quoque *Te* genuit: qui *Te* genuitque locorum,
Ipſa Paphos nobis, et noua Cyprus erit.

AD PERILLAM
EX AMBVLATIONE HIEMALI REVERSAM A. cIↃIↃCCLXXVI.

Hem! tua quam nitidis albet coma nigra pruinis!
Quam totidem argenti vertice fila micant!
Quam niueis veluti ſtellis diſpuncta, coruſcat
Largior ex humeris palla, Perilla, tuis!
Non tam conſpicuo veſtes adamante relucent,
Regia si thalamos Indica ſponſa petit.
Attamen, o quanto ſpecioſius ora genaeque,
Et tua puniceo labra colore nitent!
Non adeo pulchre, quibus induit Heſper Olympum,
Purpureae nubes, ſole cadente, rubent.
Quid tamen, heu! nigras, si quando pruina ſenectae
Efficiet canas albidulasque, comas?
Si neque defendet frigus largiſſima palla,
Nec tremulis inerit purpura blanda genis?
Tum tua, tum *virtus*, generoſior uſque, niteſcet
Pulchrius, ut roſeum iam nitet ore decus:
Pulchrius, ut nubes, quibus induit Heſper Olympum,
Ingenium, vitae ſole cadente, tuum.

AD EANDEM

Ecce, Perilla! redit iam nox blandiſſima terris,
Et tenui peplo rura quieta tegit.
Sidereae paſſim ſurgunt radiantque cohortes,
Heſperioque nitens ſurgit ab axe Venus.
Luna, puellari ridens lepidiſſima vultu,
Pallidulo latos lumine veſtit agros.
Omnia iam ſuadent, Nox, Cynthia, Cypris, amores,
Arcitenensque puer, Cynthius ipſe Deus.
Quando igitur Diui tot amare iubent, quid inani
Differimus timidi gaudia noſtra metu?
Crede, Perilla, nefas, tantis obſiſtere iuſſis,
Nec dare tam miti colla ſuperba iugo?
Caſta verecundis quid ſubtrahis oribus ora,
Anxia, ne lateat forte miniſtra foris.
Quin, age, pendamus rumores unius aſſis
Probraque, ſeu iuuenum liuida, ſiue ſenum!
Arctius uſque fides iungatur noſtra, nec ulla
Sorte, nec extremo diſſoluënda die!

Nulla data eſt fido lex, nec modus ullus amori,
Si modo ſit conſtans, et ſine labe pudor.
Sed, quos praeterea maleſuada ſuperbia mores,
Induxit rigidos, barbara ſecla decent.
Aurora amplexu Cephali, Dea quamlibet, arſit,
*Luna*que baſiolis Endymiona beat.

AD

COMITEM SOLMIVM E THERMIS CAROLINIS REDEVNTEM

A. cIↄIↄCCLXXXV

....

„Redde *Tuae* patriae, nobis *Te* redde, redique,
„O columen noſtrum praeſidiumque redi!"
His, memini, precibus ſuſpenſi ſpeque metuque,
Vidimus hinc rigidis *Te* procul ire viis.
Vidimus, atque animo veſtigia cara ſecuti,
Solliciti tulimus vota manusque Deo.
Fauit, io! votis Deus, et noua gaudia nobis
Fecit: io! ſalue terque quaterque *Redux!*
Salue! ſic inter communia iubila dicam;
Salue! ſic inter publica vota canam!
Tuque age! gens montana, piis proſtrata ſub aris,
Gratae iam mentis munera redde tuae!
Spargite humum, pueri, violis, quas terra ſoluta
Parturit, et laudum tura litate, ſenes!
Ille dies vobis feſtus celebretur, et Echo
Laetitiae veſtrae duplicet usque ſonos!

Redditus eſt etenim vobis, quo promtior alter
  Adfuit auxilio nemo, nec alter erit.
Saepe, fatigati cum vos requieſtis in umbra,
  Et tenuit dulcis languida membra ſopor;
Ipſe fuit cuſtos veſtrae tutorque ſalutis,
  Inque *Suis* humeris pondera veſtra tulit.
An meminiſtis adhuc (quamquam meminiſſe recuſat
  Horreſcitque animus) tempora dira famis? *)
Tempora dira, quibus quondam tot morte colonos
  Abſtulit ante diem ſaepius una dies?
Strata ubi per vicos iacuere cadauera paſſim,
  More ferae, campi gramine paſta ſui?
Laetus ubi quondam collis, feralibus orbae
  Ingemuit prolis planctibus, atque patrum?
Quis tum, quis veluti coelo demiſſus ab alto
  Angelus, his aderat, ceu Deus ipſe, malis?
Quis tot ſemianimes Stygio reuocauit ab Orco,
  Fataque praepoſuit ſic aliena ſuis?
Ipſe erat! *Ipſe* adiit ſacrata palatia ſupplex
  Principis, et vobis *Ipſe* rogauit opem.
Audiit et *Princeps*, caſus miſeratus acerbos,
  (Sic dignum AVGVSTI nomine) opemque tulit.
Protinus effulſit vultu ſpes laeta ſereno,
  Et nouus, en! rediit ſicca per oſſa vigor.

*) Anno 1771. et 1772.

Vndique mille preces ſonuerunt, votaque mille
Pro *Patriae*que *Patris* pro meritisque *Tuis.*
Dicite iam, grandes animae, quas ſplendida virtus
Bellipotensque tulit regna ſub alta Poli!
Dicite, quae maior ſit gloria: parta per arma?
An, quae, more Deûm, per benefacta venit?
Vita quid heroum eſt, niſi mortis imago perennis,
Exſiliumque vagum magnificusque dolor?
Cura triumphali curru non cedit; eodem
Saepe ſedent horror terribilesque minae.
Saepe, ferunt, palmis cinctos victricibus ipſis
Caeſorum tumulis illacrimaſſe, duces;
Atque auerſatos pugnamque decusque triumphi,
Fortunae et vitae poenituiſſe ſuae.
Haeret enim graue onus capiti, decerpta corona
De lauro, cuius terra cruore madet. —
At, quae vita *Tibi*, *Pater*, *o Pater optime*, Solmi?
Qualis in Elyſio fingitur eſſe piis!
Te non armorum ſtrepitus clangorque tubarum
Terret, *Te* Zephyri murmura blanda iuuant.
Te bellatrices non circumſtare cateruae,
At *Tibi* Pieridum coetus adeſſe ſolet.
Sique *Tuas* vires *Princeps* et publica poſcunt
Commoda, ſtat coeptis ipſa Minerua *Tuis.*

Eſt *Tibi* praeterea ſecuro villa receſſu,
Septa ſacris ſiluis fertilibusque iugis.
Non ibi temperies coeli, non mollia deſunt
Prata, nec armentis paſcua grata ſuis.
Riuulus inducit iucundo murmure ſomnos,
Foecundatque ſuis arua ſaluber aquis.
Mille chori volucrum concentibus äera mulcent,
Milleque carminibus ſilua beata ſonat.
Laudent nunc alii regales turribus arces
Inſignes, hortos, Anglia, ſiue tuos!
Tolleque Tiburni lucos vallemque Sabinam
Carmine diuino, Flacce poeta, tuo!
Non minus hic ridet donis natura benignis,
Non minus his Phoebus gaudet adeſſe locis.
Hic habitant Muſae, nouus hic Parnaſſus, et alter
Caſtalio riuus fonte ſuperne ſalit.
Haec *Tibi* Parca dedit, S o l m i *venerabilis!* omni
Auro et gemmatis anteferenda thronis.
Accedit mens ſancta, tenax iuſtique bonique,
Famaque par atauûm, par meritiſque *Tuis.* —
Sed non ſum tanti, ut celebrem *Tua* facta per orbem;
Si pro ture preces ſacrificabo, ſat eſt.
Quaeque piis auſis fauit, reuerentia, verbis
Iam ponat (pietas ſic iubet ipſa) modum!
Vota fuere meae fons et primordia Muſae,
In votis ergo deſinat illa: *Vale!*

....

IOCOSA

AD

LVDVM IACVLATORIVM INVITATIO

....

AD DEVMERVM

....

Si cupis optatam mecum contingere metam,
Qua niger ex albo circulus orbe nitet:
Nec Tibi ventorum rabies, nec feruidus aeſtus,
Nec faciat nubes imbre grauata moram.
Nil graue bellanti, nihil inſuperabile forti;
Algeat et ſudet, vincere quisquis auet.
Nec viciſſe ſat eſt: exſtant quoque praemia larga:
Magnus Alexander vix potiora tulit.
Singula quid referam? Peluis, ſartago, patella,
Quodque magis, *Regis* nomen honorque venit.
Tanta tamen moueant si Te non munera Martis,
Vel si diffidas viribus ipſe Tuis:

Elige fulminei ſocium certaminis, hortor,
Hilbertum: alterius ſic ope victor eris.
Ne virtute tamen propria meritisque carendum
Sit Tibi, ſed valeas viribus ipſe Tuis:
Da Socio nomen *Regis* laudemque triumphi,
At ſua grandiſono carmine facta cane!
Sic utriusque decus tota celebrabitur urbe,
Et dabitur Veſtris aequa corona comis.
Hunc dicet *Regem*, Regis Te turba *Poetam*;
Hic *Mars:* Tu nobis *Delius* alter eris.

DESCRIPTIO RARIORIS CVIVSDAM PHAENOMENI INTRA ATMOSPHAERAM NOSTRAM NATI EODEM QVO APPARVIT ANNO*) CORONAE TVRRIS HOYERSWERDENSIS MEMORIAE CAVSA INCLVSA

Accipe, Pofteritas, olim quod in äere nobis
Coeli prodigium iuffit adeffe Deus!
Plus fpatio menfis, radiis velut omnibus orbus
Sanguineo vultu fol ftetit axe fuo.
Luridus aethereum iubar inuoluebat amictus,
Et nebulofus erat, fed fine nube dies.
Luna per immundum defpexit moefta vaporem,
Qualis, si quando deficit, effe folet.
Forma eadem reliquis, rubea ferrugine tinctis,
Sideribus, quoties enituere, fuit.

*) cIↃIↃccLxxxIII. per menses aestiuos.

Mane quidem paullo, ſub prima crepuscula, ſtellis,
Qui fuit ante, nitor redditur, atque color.
Deſcendunt nebulae, niueae ceu vellera lanae,
Dumque ſolo incedas, aequor arare putes.
Saepe mihi celſa ſpeculans ex arce videbar
Defixus mediis rupibus eſſe maris.
At ſimul aſſurgit roſeis Aurora quadrigis,
Protinus aſſurgunt tegmina fuſca Poli.
Attamen inſolitis ardoribus aeſtuat äer,
Languentesque grauis feruor hiulcat agros.
Saepe inſperato reboant conuexa fragore,
Fuluaque fumoſa fulgura luce cadunt.
Obſtupet hinc vulgus: quid? quod ſtupuere periti,
Atque ſuperſtitio multa nefanda canit.
Terribiles*) terrae motus, regnique ruinam
Turcarum, peſtem nuntiat, atque famem. —
O curas hominum! quantum, qnod ſcimus, inane eſt!
Quam vanus vexat pectora noſtra timor!
Det Deus, ut, nebulis noſtra de mente repulſis,
Relligio radios pandat ubique ſuos!
Haec ſplendore nouo, nunquam pereunte, nitescat,
Haec nobis lucem praebeat atque facem!
Tum licet in cineres disiectus corruat orbis,
Intrepidam vincet nulla ruina fidem.

---

*) Nec hi abſuerunt. Testis Messina etc.

. . . .

***

IN OBITVM PVERVLI

....

Te quoque, deliciae patris, matrisque voluptas,
Blande puelle, rapax mors rapit ante diem?
Tu quoque, cui nuper praecessit amabilis umbras
Frater ad Elysias, Otto tenelle, cadis?
Sic tenerae violae, sic candida lilia veris,
Vix enata, leui frigore tacta cadunt.
O quam bellus eras! quam mollis Gratia vultu
Risit! quam lepido sedit in ore lepor!
Melle fuit nobis et dulci dulcius ipso
Nectare, quicquid erat, dulcis ocelle, tuum!
Si qua tibi balbo veniebat ab ore loquela,
Illa melos nobis et modulamen erat.
Iamque videbamur nobis vidisse futuras
Ingenii largas fertilioris opes.
Quam tibi festiui lusus, quam cerea flecti
Mens tibi, quam pietas obsequiosa fuit!

Heu! bona quot nobis, quot ſpes, quot gaudia vitae
  Abſtulit una dies! abſtulit hora necis!
Soluimur in lacrimas, paſſisque Elegia capillis,
  Iam tibi triſte Vale perpetuumque canit.
Iam violas moeſti legimus, iam florida ſerta
  Spargimus in cineres, belle puelle, tuos!
Et tumulo carmen ſuperaddimus ore gementi,
  Quale dolor dictat, quale paternus amor:
„Hic recubant bini fratres, Henricus et Otto,
  „Quorum aeque nobis carus uterque fuit.
„Ad Superos animae dulces rediere, nitentque,
  „Tyndaridum veluti ſidera clara nitent.
„Felices illas! felices terque quaterque!
  „Oſſa habeat tellus! Spiritus alta colit.“

AD

MELZERVM

POET. LAVREAT.

QVINTO ECCLESIASTICI MVNERIS LVSTRO PERACTO

Forte noui ſtudio terras luſtrarat Apollo,
 Et varias urbes viſerat atque ſcholas.
More poetarum, nullo famulante miniſtro,
 Fecerat, ut genius ſuaſerat, illud iter.
Iamque reuerſurus, ſocium ſibi quaerit, eundo
 Suauiter ut fallat taedia longa viae.
Oſtia multa ferit, ſed erat neque cognitus ulli,
 Nec, qui ſe comitem iungeret, ullus erat.
Iam propiorque polo, tandem requieuit in *Arce*
 Auguſti, digna numine ſede ſuo.
Omnia perluſtrat, miratur et omnia: „Rupes
 „Haec ſit Parnaſſus, ſit mihi Pindus!“ ait.

„Hic mihi quaerendus comes eſt, hic laurea Phoebi
„Certe non fruſtra colle virente viret!“
His dictis, oculos humilem detorquet in urbem,
*Melzeri*que ſimul geſtit adire domum.
Fama viam monſtrat: nam quem Deus ipſe Sororum
Viſere dignatur, non latuiſſe poteſt.
Intrat, et intrantem ſubito *Melzerus*, itemque
Melzerum agnoſcit Phoebus Apollo ſuum.
„Vade, agedum! (pergit) mihi ſis comes atque ſodalis,
„*Non niſi Parnaſſus vult ſibi tale decus!*
„Nonne tibi laurum mea *Vitemberga* dicauit,
„Vt ſic Aoniis ſuſciperere choris?
„Tolle moras igitur! Vult *Vitemberga*, voluntque
„Muſae te ſocium, te comitemque meum.“
Vix effatus erat, late circumfluit auras
Protinus irradians inſolitumque iubar.
Adſtat Diuarum princeps, *Eccleſia* (iuxta
Stant *Pietas*, et cum *Relligione Fides.*)
Incipit ipſa prior: „Procul hinc diſcede, Profane!
„Vindico *Melzerum* iam mihi ſola meum.
„Hunc ego prae reliquis amo, nec mihi carior ullus;
„*Proque Helicone Sion vult ſibi tale decus.*

„Vult voluitque diu! Nam tempore iam mihi longo
„Cognitus Ille, meum praeſidiumque fuit.
„Muneris Ille ſui, si neſcis, quinque peregit
„Luſtra hodie; votis templa domusque ſonant.
„Templa domusque ſonant: *Plures ſeruetur in annos*
„*Melzerus! Chriſti ſeruet ouile diu!*
„Vt, cum luſtra decem complerit muneris Ille,
„Haec ſplendore nouo ſit reditura dies!“
Obſtupuit Phoebus, linguam reuerentia preſſit;
Attamen hos fugiens fudit ab ore ſonos.
„Si tibi Parnaſſum non fas aſcendere mecum,
„Parnaſſum hanc Rupem iam tibi crede tuum.
„Hanc tibi ſacratam ſcito; te Praeſide digno,
„Clarior *Auguſtae* gloria *Rupis* erit.
„Sume igitur, quam dono lyram tibi, ſume, *Poeta!*
„Sperne nec haec, olim munera grata tibi.
„Sic, si luſtra decem, si plura peregeris aeua,
„Poſteritas vatem te canet uſque ſuum.“
„*Nam bene conueniunt et ſecum ſuaue morantur*
„*Pontificis gravitas ingeniique lepor.*

....

AD FONTEM

A. CIↃIↃCCLXXVII

O fons, qui nitidis labens argenteus undis,
Blandufiae fontis vincere geftis aquas:
Iam mihi, iam vifus tu fonte beatior ipfo
Blandufiae, Flacci dignior ipfe lyra!
Dic, age, vicino fluuio tua gaudia, Niffae,
Vt referat laudes quaelibet ora tuas!
Dic, age, quam Charitum nuper fociata choreis,
Adftiterit ripae cafta Perilla tuae?
Adftitit, et timidis nunc circumfpexit ocellis,
Ne lateat Faunus cefpite forte falax.
Nunc pede nudato, diuis formofior ipfis,
Adfpicit in fpeculo fe ftupefacta tuo.
Adfpicit ipfa fuum, rofeo fuffufa rubore,
Et decus, et formae cerea membra fuae.
Haefitat, et rurfus loca fingula luftrat, et ipfos
Sufpectos coeli iam putat effe Deos.
Denique de Veneris Mediceae more pudico,
Infilit in fontis, ceu leue flamen, aquas.

Cetera non vidi, nec narrauere Camenae,
  Ipſe verecundus praepediitque pudor.
At ſacer, o! ſemper, fons, et venerabilis eſto
  Tu mihi, Vaucluſae nobilitate prior!
Nomine ſignabo te, fons celebrate, Perillae,
  Incidens rupi nomina noſtra tuae.
Si mihi Petrarcae non eſt chelys aurea: ſaltem
  Ipſe locus noſtri teſtis amoris erit.
Ipſe manu circum texam Paeſtana roſeta,
  Quae rubeant digitis ſanguinolenta meis.
Cumque periclymeno fragrantia lilia ſurgant,
  Et quicquid florum vallis et hortus habet.
Populus atque ſalix viridaria fontis obumbrent,
  Inque nemus coeant populus atque ſalix!
Tum, si poſt ſeros annos cum Phyllide Daphnis
  Viderit haec fidei tot monumenta meae:
Protinus e tenero ſuſpiria pectore ducent,
  Igneque inardeſcent corda repente pari.
Dumque ſacra in ſilua recubantes oſcula figent,
  Plantantis, dicent, *molliter oſſa cubent!*

••••••••••••

GORLICIVM
A. CIↃIↃCCXCII

....

Salue, Terra parens! patrii ſaluete Penates!
Salue, Niſſiadum gens veneranda, mihi!
Fallor, an euigilo ſomno velut excitus alto,
Inſolitusque redit corpus in omne vigor?
Iam mihi, iam videor vitali redditus aurae,
Aethereaque poli iam regione frui.
Laetius oſſa tremunt, et mens rediuiua reſurgit,
Vt redeunte ſolet ſurgere vere, ſeges.
Namque tuas ſpeculas, dilectaque moenia cerno,
Gorlicium! o patrii Gemma Decusque ſoli!
Audio deque tuis templis et turribus altis
Grandia magniloquis aera tonare ſonis.
Ipſa ſalutatum reducem me velle videntur,
Et mugire graui murmure: *rurſus aue!*
Omnia nota mihi: muri foſſaeque viaeque,
Tuque, olim turris maxima, facta minor!
Attamen agnoui, quamquam reuerenda vetuſtas
Vix tua per fucum perſpicienda fuit.

Fulminis, heu! nimium regionibus ante propinqua,
Iuſſa Patrum curâ es ponere grande caput.
(Sic, qui purpureis modo celſior adſtitit aulis,
De ſummo praeceps culmine ſaepe cadit. —)
Ingredior portas: oculis, en! protinus adſunt
Curia cum Circo,*) Scena,**) Palaeſtra, Forum.
O! quam me dulci circumfluit äer odore,
Quam calet exſultans pectus amore mihi!
Quam nitet occiduus patriae ſol pulchrius urbi,
Quam velut auricomo vertice tecta rubent!
Purior hic manat coeli de fontibus aether,
Vberiusque ſuas terra repandit opes. — —
Huc ades, o dulcis Fili, quo carior alter
Nec mihi natus erat, nec mihi natus erit!
Huc ades, *Ewalde*, et mecum mea gaudia ſenti,
Si ſentire potes gaudia tanta, puer!
Tu procul a patria mecum loca grata ſalutas,
Inque patris patriam, me comitante, venis.
Vicit iter longum, quamuis tibi ſaepe timerem,
Seu ſtudium noſtri, ſeu nouitatis amor.
Soſpes ouansque viae ſuperaſti multa pericla,
Iam dabitur requies otiolumque tibi.
Adſpice, gramineas Niſſae labentis ad oras
Vt tumeat dextro littore collis***) apex?

---

*) Untermarkt.
**) Salzhaus, quod aedificium olim ludis ſcenicis patuit.
***) Rabenberg.

Huc igitur paullum reſide, dum ſolque diesque,
Vdaque frigiduli veſperis aura ſinant.
Hinc deflecte oculos longe lateque per urbem,
Vt meliusque iuuet, percipe dicta patris:
Haec, quam tu reliquas praecellere culmine cernis,
Haec domus eſt, quam me progenuiſſe, ſcias.
Hanc atauusque atauique tui venerabilis uxor,
Incoluitque meus cum genitrice parens.
Candor ibi morum, probitas, reuerentia Diuûm,
Et ſine labe fides, et ſine lite quies.
His ſolis opibus patrii valuere Penates;
Hae nobis artes, hic fuit unus honor.
Hortulus adiacuit domui prope moenia valli,
Graminibusque virens arboribusque ferax.
Defenſus nimio ſole, impendentibus umbris,
Aptus erat pueri luſibus atque iocis.
Nunc libuit curſu leuibus decernere plantis,
Nunc pila, nunc celeri voluitur orbe trochus. *)
Saepe etiam, multum grauiterque monente magiſtro,
Hortulus ille mihi docta palaeſtra fuit.
Non ſine ſudore, heu! quamquam impendentibus umbris,

*) Ouid. Triſt. Libr. III. Eleg. XII.

Menſa, *Liber*, *Nomen*, diſcitur, *Hortor*, *Amo!* *)
Sic mihi, proh! nimium ſubito primaeua iuuentus,
Multaque laetitiae tranſiit hora breuis.
Tranſiit hora breuis, nulla reparabilis arte;
Aeſtas ver ſequitur, iamque ſequetur hiems. — — —
Adſpicis a dextra templum ſublime, vetuſtum,
Erectum binis turribus, aere nitens?
Quam ſacer horror ineſt! Quam praeſens Numen! et intus
Quam retinent trepidos atria ſancta pedes!
Marmoreis ſurgit ſpatioſior Ara columnis,
Sole repercuſſo fulgida, ut orta dies. **)
Hic ego ſum prima paſtus vice Pane ſacrato,
Purpureique rigat Nectaris ora calix.
Deſpicit elata Genitor de parte, pioque
In mea vota ſuas miſcet amore preces.
Quem ſimul adſpexi, pariter me nouit et Ille,
Deque utriusque genis plurima gutta fluit.
Sic inter lacrimas atque inter vota parentis
Mille ſalutiferas haurio mentis opes.
Hic quoque facundo pendebam ſedulus ore,
Siue tuo, *Schulzi*, ſiue, *Rudelle*, tuo.

*) Indulgeas, Lector, has ineptias patri cum puerulo ludenti.

**) Lamina aurata post Altare affixa, miram deſuper offundit lucem picturae Ascensum Christi sub ortum solis repraesentanti.

Quam meminiſſe iuuat veſtri, quam dogmata ſancta
Erranti fuerant faxque Pharusque mihi!
Molliter oſſa cubent veſtra, illacrimentque ſepulcris
Relligio, *Pietas*, nec labefacta *Fides*. —
Quis mihi coeleſtis demulſit ſaepius aures,
Percuſſitque ſacro corda tremore, ſonus?
Machina clara tubis, variis diſtincta figuris,
Mole gigantea ponderibusque potens:
Machina, magnifici decus admirabile templi,
Innumeras linguas docta, canenda mihi eſt.
Quicquid homo ſentit, meditatur, ſperat et horret,
Exprimit: in promtu ſunt dolor, ira, preces.
Nunc fremit et mugit; *) reboaſſe tonitrua coeli
Mille putes: ſonitu tecta ſolumque tremunt.
Nunc quoque ſedato, ſenſim mollita, tumultu,
Mellifluo cantu ſaxea corda domat.
Tum tenera humanas imitatur voce**) loquelas,
Suſpiratque piis queſtibus: *Agne Dei!*
Iam velut ereptum ſibi lamentatur amicum,
Et tremulos ***) gemitus, ceu moritura, ciet.

*) *Principal*-Baß, XXXII. ped. et *Tamburo.*

**) *Vox humana.*

***) *Vox tremula* et *Vnda maris.*

Damna tamen reparat lux poſtera: cura dolorque
In noua ſe vertunt gaudia ouansque melos.
Surrexit Chriſtus! clangunt reſonantque tubarum
Cornua: *) ſpiritibus cymbala **) mota ſtrepunt.
Fit fragor inſolitus, centumque tonantia pandunt
Ora Redemtoris facta ſtupenda Dei.
Tot, *Nicolae*, tuis manibus pedibusque ſubacta,
Organa mirificos dant variantque modos! —
Prominet a laeua turris, minitata ruinas,
Turbine ventorum concita, iuncta Scholae.
Haec Schola bis quatuor mihi culta eſt nauiter annos
(Vix totidem menſes hebdomadasue putem.)
Ipſa mihi viſa eſt fieri Parnaſſia rupes,
Scalaque gloriolae, si qua futura, meae.
Praefuit huic olim rara cum laude fideque,
Vir meritisque valens ingenioque vigens.
Baumeiſterus erat, cui praedixere Camenae
Naſcenti: *Iuuenes inſtrue, paſce, rege!*
Hic me Pegaſidas primus deduxit ad undas,
Auſoniaeque lyrae duxque comesque fuit.

*) *Cornetti* et Trompeten-Bäße.
**) Umlaufende Sonne siv. Glockenspiel.

Hic ſua ſaepe mihi, pariterque *huic* noſtra legebam
Carmina, nec caruit verſibus ulla dies.
Alternis *) vicibus ſic decertauimus ambo,
Arcadiusque ſenex, Arcadiusque puer.
Sed quanto corylis maior viret ardua cedrus,
Ingenio tanto clarior *Ille* fuit.
Poſtera quaeque pios cineres venerabitur aetas,
Gorliciumque decus concinet usque Suum.
Ipſe Suis buſtis lacrimas et vota litabo,
Et tumulo ſpargam lilia miſta roſis. —
Iamque ſalutatus mihi ſis, *Neumanne!* ſecutus
Quemque es, si fas eſt vincere, vince, Virum!

---

*) Verissime Io. Fr. Neumann, Gymn. Gorl. post eum Rector, in Programmate, quod inscribitur: Das rühmlichſt verdiente Andenken des ſeel. Herrn Rector, M. Friedrich Chriſtian Baumeiſter ꝛc. Am Schluß des Jahres 1785. „Lateiniſche Verſe konnte er bis ins Alter, wenn man es verlangte, mündlich aus dem Stegreife herſagen, und ſchrieb ſie beſtändig ſo leicht nieder, als ein andrer kaum proſaiſche Aufſätze verfertiget. Dieſe gefällige Leichtigkeit, wo das mühſame und das ängſtlich geſuchte der Gedanken, des Ausdrucks und des Versbaues den Leſer nicht aufhält, war ſeinen Gedichten ganz eigen, und zog manche Leſer an ſich, die ſonſt lateiniſche Verſe gleich auf die Seite legen. Der ſeel. Mann that ſich auf dieſes Talent wenig zu gute, hielt auch nicht viel auf Anweiſung und Unterricht in dieſem Fache. Natürliche Anlage, viel Dichter leſen und eigne Uebung, glaubte er,

Tu mihi, quid rectum, monſtraſti, quidque venuſtum,
Et, quae ſit Latio dictio digna ſolo?
Te duce, ſubuerſas urbes iterumque renatas,
Regnorum varias edidicique vices.
Quicquid erat ſciri dignum diſcique ſalubre,
Vt ſcirem, iuueni ſuaſor et auctor eras.
Hos igitur ſumas elegos pro munere, quamuis
Gratia par meritis neſciat eſſe *Tuis*.
Nec *Te* praeteream, *Petri* venerabilis, et *Te*,
Hortzſchanski! o animo nomina cara meo!
*Tu*que, mihi primos inter memorande, ſacrarum

---

könne es allein ausrichten. Fand er diese Eigenschaften an einem jungen Menschen, so munterte er ihn zu vielen Ausarbeitungen auch wohl dadurch auf, daß er ihn mit sich selbst zum Wetteifer reizte." Quod quidem programma qui totum perlegerit, sane egregias Viri, de quo nobis sermo fuit, dotes et in rem scholasticam merita plenius cognoscet et admirabitur. Tanta autem tamque incredibilis Ei fuit versuum fingendorum facilitas, ut nonnunquam, quod probe memini, ab uno alteroue discipulorum suorum Thema sibi aliquod proponi iuberet, eoque *statim* arrepto, eodem ipso tempore, quo vix audiuerat, de hoc ipso themate, e. g. *de annonae caritate et fame*, qua tum forte multi homines extabescebant, lingua vernacula specimen latine reddendum nobis dictaret, ipse vero inter dictandum et docendum felicissimos elegos latinos exstupescendo plane scribendi flumine e calamo effunderet.

Rerum, *Sternbergi!* nobile ſidus, aue!
Te colo, *Te*que colam, dum ſpiritus hos reget artus,
Nec *Tua* dilabi munera mente ſinam! —
O! quantum libeat fidibus ceciniſſe ſonoris
Tot dignos omni poſteritate Viros!
Quae pietas, candor! quae ſedula cura fidesque,
Morumque integritas ingeniique decus!
Hos, *Ewalde*, Viros si conſpexiſſe licebit,
Hos venerare patris (ſic iubet ipſe) loco.
His, tibi si quando faueat Romanus Apollo
(Nam mihi iam vires languida Muſa negat)
His tu, si qua mei reſidet reuerentia, iuſti
Si quis amor, meritis carmina digna canas! —

* * *

At, niſi decipior, nox imminet humida terris,
Et tremulo Phoebes lumine Niſſa nitet.
Parua viae reſtat nobis menſura terenda;
Plus alio, si vis, erudiere die.
Villa ſalutanda eſt nobis *Moyſina*: valete,
Moenia *Gorlicii!* Collis amice, vale!

TOEPLICIVM
AD SODALES. A. cIↄIↄccxcIIII

Quae noua ſollicitum pertentant gaudia pectus,
Quam mihi proueniunt iam ſine nube dies!
Quam velut e tumulo triſtique Acheronte remiſſo,
Denique vitalis vita per oſſa redit!
Liberiore ſalit motu mihi ſanguis, et unda
Sulphureo exhalat vim mihi fonte nouam.
Ipſa mihi Aonidum, temere neglecta caterua,
Fert iterum placidas conciliata manus.
Pan Dryadesque adſunt, Charitumque immiſta choreis,
Toeplicii calidis Naïs inerrat aquis.
Terra parit flores, Zephyris tepet äer, et arbor
Induit umbroſas luxurioſa comas.
Hic iocus et riſus, pulſis hic otia curis,
Atque quies, nullo fracta labore, vigent.
Nunc decet et fas eſt, denſis requiescere lucis,
Riuulus unde caua rupe perenne ſtrepit.
Nunc ibi ſub patula placeat conſidere pinu,
Siue liber mecum, ſiue ſodalis eat.

Huc ades, o Themidos gremio nutrite benigno,
Sartori, o patrii fama decusque Fori!
Te, licet, infelix morborum turba fatiget,
Ingenii resident visque vigorque *Tui*.
Huc quoque, *Meinerte*, o Musis dilecte Bohemis,
Non secus ac Graiis Ausoniisque, veni!
Quo cantante, genas iusto suffusa rubore,
Ore verecundo nostra Camena tacet.
Hic iuuet unanimes horas bene fallere, dumque
Nos male seiungant dogmata, iungat amor!
Est locus oppidulo vicinus (nostis, Amici!)
Florigerisque herbis germinibusque ferax.
Plurima consurgit ramis sublimibus arbos,
Aesculus et fagus, populus atque salix.
Densa perobscuros fingunt fruticeta recessus,
Quos labyrinthiacis flexibus unda rigat.
Rupis apex alia de parte sedilia praebet,
Vnde oculus nusquam, quo satietur, habet.
Infra lusciniae gelidis modulantur in umbris,
Aut fidium cantu saxa nemusque sonant.
Omnia laetitiam, solamen et otia spirant,
Colloquiisque fauent omnia Socraticis.
Hic (meministis enim) locus est, quo plurima nobis,
Dum Parcis visum, risit amoena dies.
Hic semper nobis sacer et venerabilis esto,
Huic fas est animo vota dicare pio.
Quis scit, an huc iterum nos fata Deusque reducant,

Nec noſtrum circa mors volet atra caput?
Quin, dilecte Senex, *Hugo* venerande, propinas
More *Tuo* miſtis vina benignus aquis? *)
Cras procul a nobis Spreae Viadrique paterni
Littus arenoſum viſere rurſus aues.
Carpe diem! nobis datur ille! quid inſcius ultra
Viuendi differs gaudia prona? Sape!
Dum loquor, hora ruit. Viden' ut iam vallibus umbrae
Inſideant? Vrgent tempus et hora fugax.
Diſcute triſtitiae nebulas et inania mentis
Taedia, nec ſpernas ludicra noſtra, Senex!
Adſit docta lyram citharamue, et pſallere docta,
Ac tenui reddat voce, Corinna, modos!
Dicat *Toeplicii* laudes et gaudia Bacchi,
Aut moueat dociles cum Corydone pedes!
Sic hilares inter cantus ſaltusque procaces
Dicamus nobis terque quaterque vale!
Oscula iungamus, nobisque nouiſſima verba
Si dedimus, dabimus, dum licet, usque noua.
Pocula libemus, dumque inter pocula forte
Lacrima deſtillet, *pignus amoris erit!*

---

*) Bilinens. aut Selter.

PORTA PREBICIENSIS *)

MENSE OCTOB. A. CIↃIↃCCCIIII

Heu! patet immani mons *Prebicienſis* hiatu,
Attonitoque mihi corda pauore tremunt.
Crura labant, oculos ater circumuolat horror,
Funereosque ululat noctua dira modos.
Quam reuocare gradum cuperem! ſed nulla reuerti
Copia: vertigo noxque propinqua vetant.
Vna ſalus reſtat, non deſperare ſalutem,
Vna via eſt, laeui carpere rupe viam.
Repo per exeſos calles, quos ipſa paueret
Dama, licet premeret terga ſagitta minax.
Lumine tum clauſo et trepido pede mutus abyſſum
Traiicio: palus ponticuli inſtar adeſt.

*) Prebiſchthor in Bohemia prope fines Saxoniae. Est rupes cauata, ingens, mirae altitudinis, in speciem arcus vel *portae*, unde nomen mutuata est, a natura efficta. Vix ipſa Heluetia tam insigne et exstupescendum prodigium protulit. Vid. cel. Goetzingeri elegantiss. et veriss. lib. Schandau und ſeine Umgebungen, oder Beſchreibung der ſogenannten Sächſ. Schweiz.

Robur et aes triplex circa mihi corda fuisse
  Crediderim: titubans protinus umbra fui.
Naufraga puppis habet, quod forte prehendat in undis
  Naufragus: at mihi iam sola vorago patet.
Quis mihi nunc demum, fili dulcissime, sensus,
  Isdem cernenti te trepidare viis?
Admonuit Phoebus Phaëtonta, ut adire nefastum
  Nollet iter: *nostri* suasor et auctor eram.
Auctor eram, fateor; sed nescius ipse pericli,
  Ausus eram tanti paene furoris opus.
Exsangues tremuere artus, neque lumina tollo,
  Mox rupi et ducibus, mox male dico mihi.
Vix tamen incolumem vestigia nostra secutum
  Te video, et tuto figere calle pedem:
Ocyus occurro, velutique Acheronte remisso
  Brachia tendo tibi, tendis et ipse mihi.
Vadimus audaces ultra: mox cernitur ingens
  Arcus, cui *portae* nomen imago dedit.
Panditur hinc vastum dextra laeuaque barathrum,
  Qua cautes rupes colligat una duas.
Ingressi tandem Portam, requiescimus antro,
  Quo placidum rupes ipsa sedile parat.
Promitur e pera seruata laguncula vini,
  Promuntur panis frustula, fraga, nuces.
Laetius his epulis quid habent conuiuia regum?
  An sibi sic ipsa Caesar in arce placet?

Elysiae valles infra, sursumque tremendae
  Saxorum moles Tartareumque Chaos.
Fallor, an in summo memorandae limine Portae
  Fraxinus aut fagus pandit aprica comas?
Illa, triumphalem velut impositura coronam,
  Haeret in excelso, ceu diadema, tholo.
Immensi circum saltus rigidique Colossi
  Augent horrores deliciasque loci.
Luna superueniens, rerum mutare figuras
  Apta, nouas species et noua monstra creat.
Aufugimus timidi; descendit semita praeceps!
  Respicimus — luna Porta nitente nitet.
Extremum, formosa, vale, vale! (inquimus omnes)
  Porta! refert Echo terque quaterque sonum.
O! utinam hisce mihi liceat considere terris,
  Elysioque inter Tartara vasta frui!

---

*) Et longum, formose, vale, vale! inquit, Iola. Virg. Ecl. III. lin. 79.

....

SPECVS RATHENSIS*)

EODEM ANNO

Eſt ſpecus in ſancto nemorum tenebroſa receſſu,
Cui *merulae* nomen forte dedere patres.
Siue, quod huic volucrum ſtatio eſt gratiſſima genti,
Seu, quia conſimili nigret, ut illa, modo.
Occupat adſtantem propius, reuerentia Diuûm,
Et trepidos artus frigidus horror habet.
Atra ſilex vaſtae, iamiam lapſura, cauernae
Imminet, abruptis undique cincta iugis.
Veſtibulum ante ipſum, multo cataracta fragore
Deſuper, intorto gurgite, deiicitur.
Spumea per ſcopulos triplicem ſe ſindit in arcum,
Proque ſpecu ſpeculi cernere vitra putes.

*) Vulgo Amſelhöle, Amſelloch, in Heluetia, quam dicunt, Saxonica. Vid. Goetzingeri aliorumque deſcriptiones.

Ambiguum: fugias, vel contra audentior inſtes,
Per mediasque ruas, turbinis inſtar, aquas?
Ex adytis imis: *procul, o! procul eſte, profani!*
Admonet ipſe locus relligioque loci.
Attamen audacem iuuat ipſa audacia ſaltum,
Si tibi mens pura eſt, et ſine labe fides.
Intus Cimmeriae noctes, quibus antra Sibyllae
Taenarioſue lacus diriguiſſe, ferunt.
Hic dum per tenebras oculis manibusque, minanti
Pendentes ſurſum pondere, luſtro tholos:
Ecce! coruscanti per aquas fulgore relucens,
E ſudo, trifidum fulmen ab axe tonat.
Protinus horrescit ſubita formidine pectus,
Attonitoque ſtupet mens tremefacta metu.
Mortis ubique mihi ſe ſiſtit imago. Quid? inquam,
Si tumulo viuum conderet iſta ſpecus?
In caput illa meum ruerent si ſaxa? vel altis
Praecipitata iugis, clauderet unda viam?
Proripior, ceu dira humeris inſiſtat Erinnys,
Tergeminoue inhians Cerberus ore fremat. — —
Excipit egreſſum roſeo me lumine coelum,
Nec, niſi longinquo murmure tesqua ſonant.
Aurea frons rupis, vergentis tincta colore
Solis, ut ipſius regia clara nitet.

Exuit horrores tellus circum aſpera tetros,
Lentaque gramineum permeat unda torum.
Pro rapidis ſpumis, cryſtallos cerno liquentes,
Pro rigidis ſaxis, flammea fulcra poli. —
O ſpecus! o cautes! veriſſima ſortis imago
Humanae, vitae ſitis imago meae!
Saepe viatoris miſeri via cautibus horret,
Saepe necem flammae, ſaepe minantur aquae.
Hic circumfuſi tenebris erramus: at olim
Luce ſerenata ridet amoena dies.
Per varios caſus, per abyſſos, ſaxa, paludes
Tendimus ad Superos Elyſiumque nemus.
Tunc, iter emenſis longum oblitisque laborum,
Aeterni nobis tempora veris eunt.

MONS HIEMALIS MAIOR *)

EODEM ANNO

Tandem igitur, tandem, ſuperatis nubibus ipſis,
  Figo pedem tergo, mons venerande, tuo!
Poſt variosque viae caſus variosque labores,
  Otia ſub fagi tegmine lentus ago.
Iam mihi, iam facili ſpirant praecordia motu,
  Nec premit anguſtum tuſſis anhela latus.
Dumque procul terrae fumo miſeroque tumultu
  Aetheris afflatu limpidiore fruor:
Rideo mortales curas et inania vulgi
  Vota, vel aularum purpura quicquid habet.
Mille nouae rerum formae mihi cernere dantur,
  Cunctaque mutari diminuique ſolent.
Paruulus ut riuus, quem tranſiluiſſe luberet,
  Sub pedibus, nitidis profluit Albis aquis.
Quae mihi viſa prius rupes immenſa, videtur
  Iam mihi vix tumulus colliculusue loci.

*) Große Winterberg, haud procul Schandauia.

Tota iacens infra regio, campique domusque,
Apparent oculis, chartula picta, meis.
Tu tamen, o grandis *Milefowka!**) per ardua coeli
Nubila piniferum tollis ad aftra caput.
Terque quaterque mihi falue, qui culmine vincis
Omne genus fratrum, maximus ipfe Gigas!
Fulmina nimbofum feriunt latus, atque procellae:
Solis at immotus lumine fplendet apex.
Confcia fic recti mens fati imbellia tela
Excipit, humanis altior ipfa malis. —
Sed quid? an eludor? feu te, leuis äeris inftar,
Cerno, Silefiaci**) fumma corona iugi?
Te fimul agnosco, vertex annofe Sudetum,
Agnosco flammae priftina figna meae!
Qualis eras, nunc es! rapidoque cadentia curfu
Tempora nil decoris diminuere tui.
Verum ego, Dî fuperi, quantum mutatus ab illo,
Cum canerem laudes, diua Perilla, tuas!
Cum veluti fidus gemerem tua nomina turtur,
Et fimiles rupes redderet alta fonos.***)

---

*) Milifchauer „siue große Donnersberg in Bohemia; summum montis *Pascuapolae* culmen.

**) Schneekoppe.

***) vid. Ad Perillam.

Iam (quoniam meminiſſe iuuat) dum filius ultra
Quaerit iter, parili voce: Perilla! gemo.
Sed mihi clamanti per inhoſpita ſaxa: Perilla!
Illa, refert Echo flebilis, *illa* fuit.
Heu fuit! ad coelos geniorum more refugit:
Mortales tantum non meruere decus.
Saluete, o ſancti manes, iterumque valete,
Et memores ſitis, si licet, usque mei!
Molliter oſſa cubent! ſaltemque, ingrata, ſepulcro
Lilia cum violis creſcere, terra, iube!

AD
PHYLLIDA HVMILI GENERE NATAM

Sec. vernac. meum:
Sieh, wie der junge Mai die Flur etc.

Phylli, vides, violae redimitus tempora ſerto,
Veſtiat ut Florae munere, Maius, agros?
Vt coma iam redeat ſiluis, terraeque voluptas,
Verque nouum vitam fundat in oſſa nouam?
Vt radiis Phoebi Cerealia rura tepescant,
Nec rigeant cano, prata, ſepulta gelu? —
Iam Cytherea choros, per amica ſilentia lunae,
Ducit ouans, Charitum conſociata choris.
Quod fuit ante Chaos, Paradiſo vertitur, et qua
Vallis operta ſitu ſqualluit, Enna viret.
Riuulus, en! paruus, vitro fulgentior ipſo,
Per ſilices leni murmure lambit humum.
Purus et illimis, tanquam ſine labe pudica
Integritas, vitae, fertur, imago tuae.
Lene ſalit placida, vix notus agreſtibus, unda,
Scilicet exiguae fontibus ortus aquae.
Mox tamen augetur, patulis diffuſus et oris,
Illuſtris fluuii nomina clara tenet.
Tunc illum populi, gemmas aurumque vehentem,
Diuitiasque maris, Numinis inſtar habent.

CARMEN SEMISECVLARE
M. T. SCHVBARTHO
THEOLOGIAE DOCTORI EPHORO HAINENSI SACR.

Nox erat, et placidam ſuadebat inire quietem
  Luna, ſoporifera luce per aſtra nitens.
Omnia me circum, pecudum volucrumque cohortes,
  Ipſaque ventorum flamina muta ſilent.
At mihi nec tenero libuit requieſcere lecto,
  Nec mea dum lentus lumina ſomnus habet.
Egredior portis, extraque perambulo muros
  Vrbis, cui *grandis* nomina *ſilua* dedit.
Denique defeſſus, vicino forte ſedili,
  Languida, ceu molli, membra repono, toro.
Mox luſere meos, nec inania, ſomnia ſenſus,
  Miraque iucundae noctis imago fuit.
Hortus erat patulus, ſpatioſus, floribus halans,
  Frugiferis herbis arboribusque ferax.
In medio riuus, vitreis pellucidus undis,
  Lene ſuſurranti murmure voluit aquas.
Vlterius cano lucus venerabilis aeuo
  Prominet, antiqua relligione ſacer.

Ima parte latet templum ſublime, vetuſtum,
Cuius ad introitus horror et umbra ſedent.
Pallida colluſtrat reuerenda ſacraria lampas,
Omniaque oſtendunt Numen ineſſe loco.
Audeo, ſed trepidus, tamen audeo tangere limen,
Tango, ſed impediunt limina ſancta gradum.
Intro, ſed attonita friget formidine ſanguis,
Conantique loqui vox negat ipſa ſonos.
Protinus irradiat nitidum iubar aethere ab alto
Lumine diuinam fulgidiore domum.
Cernitur ara mihi, feſtis decorata coronis,
Quam prope ſtant *Pietas* nec temerata *Fides*.
Interea roſeis illabens nubibus, *Vrbis*
Deſcendit *Genius*, veris ut aura leuis.
Candida ab äerio defluxit corpore veſtis,
Ambroſiusque procul vertice ſpirat odor.
Forma fuit, qualis iuuenum ſolet eſſe, ſed oris
Splendida maieſtas nuntiat eſſe Deum.
Mite decus frontis promittit iubila genti,
Purpureisque nitet gloria blanda genis.
Adſtat, et incenſas ſupplex procedit ad aras,
Et noua cum turum munere ſerta litat.
Tum ſic unanimes affatur voce ſorores:
(Angelicos coetus concinuiſſe, reor.)
„Fauſta dies nobis illuxit ſidere fauſto,
„Laetaque iam poſcit carmina laeta dies.
„Ite, triumphali redimitum tempora lauru,
„Ite, comas cinctum floribus, ite piae!

„Gaudia magna quidem, ſed non indebita, poscit
„Feſta dies, plauſu digna, beata dies.
„Quare, age, rumpe moras, caſtiſſima biga Sororum,
„Iunge manus, mentes, carmina, vota, preces!
„Iungite: ſed video, vos iam iunxiſſe libenter
„Mentes atque preces, carmina, vota, manus.
„Plaudite: ſed video, vos veſtra plaudere ſponte;
„Ponite: ſed video, vos poſuiſſe metum!“
Dixerat, et modulis ſubito coeleſtibus aether
Conſonat, et templum conſonat atque nemus.
Haec ego dum miror, ſancto teneorque ſtupore,
Vndique vis hominum conglomerata ruit.
Ire Sacerdotum coetus, atque ire Senatum
Cerno: *Senex* medio conſpiciendus adeſt.
Emicat e placido iuuenilis gratia vultu,
Laetitiaque pia cor tremit atque ſalit.
„Salue, care *Senex!* ſalue, dilecte *Schubarthe!*“
Vox populi plaudens terque quaterque ſonat.
„Salue, noſter amor! pariter venerabilis annis
„Ac meritis, ſalue!“ vox geminata ſonat.
Audit, et effuſis lacrimis rigat ora, ſed iſtis,

Quas ciet e tenero pectore fidus amor.
Obuius, en! *Genius* prodit, dextramque repente
Praebet, et ut nato porrigit ora pater.
,,Quot noctes (inquit) pro teque tuaque ſalute
,,Excubui! neque te dignior alter erat.
,,Quot ceruice tua mea cura pericula vitae
,,Depulit! at ſaluum iuſſerat eſſe Deus.
,,Iuſſerat ipſe Deus, ſaluumquè iubebit in annos,
,,Si valet augurium, si pia vota valent.
,,Noſti, care *Senex*, expertus ſaepe, quod ingens,
,,Imperii, ſit onus, frena tenere ſacri.
,,Hoc opus, hic labor eſt, populum moderamine recto
,,Ducere, coeleſtes atque docere vias.
,,Hoc opus, hic labor eſt, mulcere ferocia dictis
,,Pectora, et exemplo corda domare ſuo.
,,Hoc opus, hic labor eſt, coelo digniſſimus ipſo,
,,Paſcere aberrantes, ne lupus intret, oues.
,,His te (teſtor ego Superos) virtutibus, his te
,,Ante alios meritis enituiſſe, liquet.
,,Hic labor, haec pietas, haec ſedula cura fidesque,
,,Vt tua ſemper erat, ſic tua ſemper erit.
,,Ecce! tibi decimi peraguntur tempora luſtri,
,,Dum facis in templis publica ſacra Dei;

„Dum regis et flectis diuini fulmine verbi,
„Quo fas eſt, mentes, ſternis et omne ſcelus;
„Dum conſolator miſeris placidiſſimus exſtas,
„Mellitaque animi vulnera voce foues.
„Macte igitur tantis meritis, gregis optime Cuſtos,
„Et fidei longae praemia digna feras!
„Viue, vale! vitae fortuna ſalusque futurae
„Crescat, ad irriguas crescit ut arbor aquas!
„Viuida, firma, valens tua ſit, viridisque ſenectus
„Floreat, ut florum gratia verna ſolet."
Finiit: adproperant *Pietas*que *Fides*que ſorores,
Depromuntque ſinu lilia miſta roſis.
Vtraque certatim geſtit vincire corollis
Et ſertis cari tempora cara *Senis.*
Applaudit populus, plaudit ſacer Ordo, Senatus,
Laetitiaeque ſonis templa nemusque fremunt.
Excitus euigilo tanto clamore: *ſed iſta
Somnia, mox laetor, vera fuiſſe mihi.*
Salue igitur, lux feſta mihi, lux optima, ſalue!
Tuque, Schubarthe, faue iam mihi, iamque Vale!

....

N V X

A. cIↄIↄcccIIII

Haec elegia tibi ſacra ſit, venerabilis arbor,
  Quae mihi delicium, quae decus urbis eras!
Ipſa tuos caſus domus et vicinia moerent,
  Nec puduit fatis indoluiſſe tuis.
Qualis eras, memini: qualis nunc facta, nepotes
  Et locus, et demto truncus honore, docent.
Heu! nimium dilecta, iaces, miſerabile funus,
  Gratiaque orbatis frondibus omnis abeſt.
Triſte ſolo lignum, *Nux* o! viridiſſima quondam,
  Indomito Boreae frigore laeſa, iaces!
Ante, tribus dominis largis cum fructibus umbras,
  Per tria te vates aeua tuliſſe, canunt.
Poſt quoque, poſt ipſi largis cum fructibus umbras
  Per tria, ni fallor, tu mihi luſtra dabas.
Celſior ante alias, prisci inter rudera templi,
  Tu mihi villa ferax, tu mihi lucus eras.

Olim vidisti flammas, tristesque ruinas
Vrbis, vidisti fulmina, bella, neces.
At tibi flamma rapax, tibi fulminis ira pepercit,
Et prope te miles mitior ipse fuit.
Ipsae, credo, tibi dulces fauere Camenae,
Phoebus et ipse tuum fertur amasse decus.
Nec te percussit petulans lasciuia plebis,
Nec tibi Romanae*) fata querenda Nucis.
Te venerabundum vulgus, quasi Numen inesset,
Te puer et virgo, te coluere senes.
Sed mihi prae reliquis ut eras gratissima semper,
Nulli flebilior, quam mihi, morte cadis.
Tu mihi curarum requiem, tu dulce per aestum
Frigus, et afflasti somnia blanda mihi.
Saepe Dryas, fessos requies cum cepit ocellos,
Visa mihi est sertis implicuisse caput.
Saepe mihi vigili, nisi lusit amabilis error,
Adstitit, et tenera voce locuta mihi est:
„Tityre! siluarum non est in amoribus una,
„Sacra Ioui, quercus, deliciisque mihi.
„Nux quoque noster amor: sit et haec tua cura, tuaque
„*Hanc* cole (nec cultu dignior ulla) manu.“
O! utinam sterilis, cultu nec digna fuisses,
Non tanti luctus iam mihi causa fores!

---

*) Nux. Elegia, Nasoni vulgo adscr.

Tu cadis, et tecum mea gaudia; nec mihi posthaec
(Sola etenim messis tu mea) messis erit.
Iam mihi quid superest de te, nisi tristis imago?
Quid datur afflicto, quam meminisse tui? —
Vere nouo, simulac rediuiua tepentibus auris,
Frondibus atque nouis induerere comis:
Adsilit, en! subito soboles mea, laetaque flores
(*Agnellos* vocitat) narrat adesse tuos.
Narrat, et aufugiens, quoties cecidere, cadentes
Non sine fraterna lite repente legit.
Colligit, atque alacres inter cantusque iocosque,
„En! tibi venturae gaudia messis!“ ait.
Protinus occurro, puerûmque hilarisque puellae
Arripio grata munera parua manu.
„Euohe! quod nobis (inquam) ver gaudia spondet?
„Quanta sed autumnus frugifer ipse dabit?
„Quae bene protrudit flores, bene parturit arbor,
„Et clarae nomen fertilitatis habet.
„Ergo, agite! exemplar vobis Nuce sumite ab ista,
„Irrita ne quando spes mea sola cadat.“
Spondetis, manibusque manus dum iungitis, una
Dicitis: „ah! nunquam spes tua sola cadet.“

Voluitur interea reuolutis menſibus aeſtas,
Horreaque alterno verbere trita ſonant.
Poma cadunt paſſim, foliis immurmurat Eurus,
Vuaque purpureo tincta colore tumet.
Tunc quoque, tunc patulas fiſſo noua cortice rimas
Nux agit, et meſſis tempus adeſſe monet.
O! qualis iocus et riſus, quae viua voluptas,
Tum, mea progenies, teque domumque tenet!
Iugiter accurſat proles vicina: bacillos
Altera pars, calathos altera laeta gerit.
Ipſe ego, depoſita tunica de more coloni,
Agmina duco, manum pertica longa grauat.
Nitor in excelſum, clamans: „advertite! primam,
„Qui capiet, capiat praemia prima, nucem."
Vix ea dicta, oculis et hiantibus oribus adſtant,
Iamque ferit primam pertica quaſſa nucem.
Ocyus, ecce! cohors glomerata, ſine ordine raptim
Aduolat, atque manus complicat atque pedes.
Nec mora, nec requies, crepitat ſtrepitatque cadentum
Circum humeros, circum tempora, grando nucum.
Hic caput, ille dolet colliſi vulnera tergi,

Sed gemitus inter miscet uterque iocos.
Dumque legunt feriuntque nuces, pugnamque laceſſunt,
Alter in alterius terga procumbit humi.
Turba puellarum circumſilit, atque iacentes
Ludit et irridet corticibusue petit. —
Sed iam finis adeſt, calathis perisque repletis,
Conditur aprico meſſis opima loco.
Area nunc reſonat cantu fidibusque iuuentae,
Et ſua iam merito praemia victor habet.
Ille dies nobis feſtus celebratur: ad aras
Confluit hoſpitii femina virque mei.
Ipſe aduentantes, lare ne ſub paupere coenae
Taedeat, ut placeant fercula pauca, precor.
Affero, quicquid habet tenuis domus, affero panem,
Lacteque cum preſſo, poma nouasque nuces.
Affero (ſic etenim ſplendor iubet ipſe diei)
Natum, cum quondam naſcerer*) ipſe, merum.
Vtque voluptati ne quicquam deſit, apertas
Ante fores, fidicen vel citharoedus adeſt.
Suauiter, incaute, veteri de more parentum,
Protrahimus laetum, dum licet usque, diem. —
Sed, quid ego vana delector imagine rerum?
Quidue caduca iuuat fingere mente bona?

*) A. 1753.

Strauit humi, ſtrauit Boreas mea gaudia nuper,
Peſtifer, Arctoo miſſus ab axe, gelu.
Quae tam dira tibi rabies, mala bruma, nocendi,
Inuidiaeue lues tam furibunda fuit?
Dîs inimica ipſis, ipſum violare cubile
Sacrilega Dryadum es turpiter auſa manu.
Triſte mihi ſurgit veris nunc ſidus amoeni,
Triſtiaque aeſtiui tempora ſolis eunt.
Terra parit fruges, redeunt ſua gramina campis,
Siluarumque decus luxuriesque redit.
Omnia cum redeant, tu, Nux adamata, redire,
Aeternaque negas tollere nocte caput.
Heu mihi! iam ſtirpem (vultus auertite, Muſae!)
Dum loquor, excidit lamina dura tuam.
Contemtae ſquallent frondes, animique proterui
Proterit immiti ſerua maligna pede.
(Scilicet haec pietas vulgi eſt, haec praemia digna
Arboreum omne genus fertilitatis habet.)
At mihi congeſtas, veteris prope limina templi,
Munus erit, moeſto compoſuiſſe rogo.
Rite peracturus ſacra, addam florea ſerta,
Tureque odorifero ſtrideat ignis edax.
Tum bene collectam ſeruet pia teſta fauillam,
Ante domus caſtos conſtituenda lares.
Arcula deque tua radice exciſa, recondat
Verſiculos noſtros elogiumque tuum!

Feralique loco ſeu triſtis amaracus adſtet,
  Seu ſignet myrthus, ſiue cupreſſus humum.
Inſuper e pictis tabulis haec verba legantur:
  Sit mea vita ferax, ut tua vita fuit!

IN NATALEM STOECKHARDI ICTI CELEBERR. A. CIↃIↃCCCII.

Mille coloratis lychnis pictisque papyris
  Natalem, memini, Te celebrare meum.
Nec ſidium cantus, nec ſuauia carmina deſunt,
  Nec Ceres et Bacchus, quicquid et hortus habet.
His Tibi pro tantis quid poſſum reddere donis?
  Quid? — praeter verſus et pia vota, nihil.
Viue, vale! valeat proles, valeantque nepotes,
  Et tria ſint ſemper Numina fauſta Tibi!
Vina Tibi *Bacchus*, vires det *Apollo* vigentes,
  Saxonicas lites Pruſſiacasque *Themis!*
Sic Tibi grata fluet Tua vita domique forisque,
  Ipſeque Te porro ſoſpite ſoſpes ero.

AD MVELLERVM

SCHOL. AFRAN. MISN. RECTOREM.

Sole ſub occiduo requieſco lentus in umbra,
  Et meditor Latiis verba ligata modis.
Dulce ſuperne gelu patula diffunditur ulmo,
  E placidisque vapor roscidus halat aquis.
Laeta cohors volucrum frondoſis conditur antris,
  Ipſaque paſtorum ruſtica canna ſilet.
Nulla per explicitos ramos ſtrepit aura; quiesque
  Iam ſata, iam ſiluas et iuga celſa tenet.
Interea tacitis vox lamentabilis umbris
  Editur, et tales audio forte ſonos:
„Me miſeram! foedo ſquallentem puluere! nemo,
  „Nemo meas facili percipit aure preces!
„Vos, rigidi ſaltus, rupesque feraeque, querelas,
  „Vosque, ipſi Manes, accipitote meas!“
Reſpicio: mulier pannis annisque grauata
  Adſtat; ſagarum de grege paene puto.

„Quid tibi vis, vetula? o! procul hinc, occlamo, faceſſe,
„Quid mihi, turpis anus, taedia tanta moues?“
Illa ſed (obſtupeo maieſtatemque decusque
Adſtantis propius) talia voce refert:
„Deformemne adeo me fecit cana ſenectus,
„Vitet ut adſpectum vir iuuenisque meum?
„Mene, ingrate, fugis? noſtine, ut ſaepe benigna
„Adfuerim precibus, rite vocata, tuis?
„Iam mea, iam longus vitiauit pectora moeror,
„Et pudor et triſtis pallor in ore ſedet.
„Ecce! lyram multo ſordentem puluere mecum
„Vix fero, vix traho per deuia luſtra pedes.
„Fabula ſum vulgi: docti indoctique viciſſim
„Me, foribus clauſis, exſulis inſtar agunt.
„Vix pueri, quibus, ut faueant, ego cruſtula blanda
„Porrigo, munera dant qualiacunque mihi.
„Cetera turba meos temere faſtidit honores,
„Et rident ſtolidi verba Latina Getae. *)
„Sed, quid ego vanis disrumpo queſtibus auras?
„Quam piget eſſe Deam, nec potuiſſe mori?“

*) Ouid. Libr. Triſt. V. Eleg. X.

Attonito ſimilis, vix lumina tollere tentó,
Et pudor et trepidus percutit oſſa pauor.
Scilicet ambroſio dum circumfundor odore,
Agnoſco vultu fulgidiore Deam.
Romanam agnosco (dictu mirabile!) *Muſam*,
Et venerabundo mens mihi voxque ſtupent.
At facies Diuae blandiſſima, gratia linguae,
Senſim diminuunt excutiuntque metum.
Iam libuit notas audire et reddere voces,
Et tandem his verbis alloquor ipſe Deam.
„Quis te, diua comes Phoebi, tot adire labores
„Iuſſit, ad ingratam teque reduxit humum?“
„Solus amor! (miti reſpondet voce) ſed eheu!
„Nullus amor noſtri; ſola relicta gemo.
„Ipſe pater Phoebus riſit, riſere ſorores,
„Cum mihi tam vanum ſuſciperetur iter.
„Iam pudet ad Superos Heliconiaque arua reuerti;
„Quis mihi ſic ſpretae iam tribuetur honor?“
„Ne dubites (inquam) nondum reuerentia, nondum
„Cuncta tui ceſſit, nec fauor omnis abeſt.
„Reſtat *Misna* tibi, reſtat Tibi *Grima*, patetque
„*Porta*, Heliconque tibi quaelibet alter erit.“

Protinus effulget vultu ſpes laeta ſereno,
Dulciſonumque alacri defluit ore melos.
Nec mora, diffugit tenues dilapſa per auras,
Dumque fugit, Pindi perſonuere chori.
Brachia, ſed fruſtra, tendo. Per lumina lunae
Afranum video iam tetigiſſe iugum.
Afrae igitur, blandae matris, iam regnat in arce,
Iam, *Muellere*, tuo ſuſcipiturque ſinu.
O te felicem, Dea cui requiescit in ulnis,
Felicem et pariter, Te redamante, Deam!

••••••••••••

DE SE IPSO CVM MVSIS VALEDICERET

cIↄIↄcccv

Heu mihi! iam cani circum mea tempora crines
 Serpunt, iamque monet ruga ſuborta: ſape!
Iam gelidus circum ſtagnat praecordia ſanguis,
 Vixque fluit venae guttula parua meae.
Tempus erat (memini) quo me dixere ſodales
 Vatem, decepti forſan amore, ſuum.
Seu libuit Venerem celebrare facesque iugales,
 Seu ploranda mihi funera, promtus eram.
Tu mihi, Gorlicium, tu teſtis, Lipſia! tuque,
 Nomine non vero dicta, Perilla, mihi!
Nunc me cum viridi fugiunt aetate Camenae,
 Incultoque mihi murmure verba cadunt.
Ergo erat in fatis, inconſtans turba, puellae,
 Vt ſic de veſtra iam leuitate querar?
Omnia vobiscum mea gaudia fertis in auras,
 Ipſaque vitalis non mihi vita manet.
Ceu, quando veteris flammae fideique iugalis
 Immemor, a ſponſo perfida ſponſa fugit;

Tunc faſtiditus gemit, indignatur et odit,
 Aſt odio grauius pectora pungit amor:
Sic ego vos, Muſae, quamquam laeſiſtis amantem,
 Quas odiſſe velim, triſtis et aeger amo.
Forſitan hoc poſſit ſtudium dementia dici,
 Ridear, et fiam fabula plebis ego.
Confiteor culpam. Molles procul ite, querelae!
 Non ornant, iuuenem quae decuere, virum.
Quid iam cum Muſis totoque Helicone? quid inde
 Praemioli, aut nobis utilitatis erit?
An mihi quaerenda eſt fugitiuae gloria famae?
 Fama Poetarum, heu! quam leuis eſſe ſolet!
Magnorumue virûm, quos purpura veſtit et aurum,
 Facta infecta canam, turaque falſa litem?
Eſt mihi mens conſtans, mentiri nescia, verae
 Virtutis vindex, ambitione carens.
Cur igitur, vix ut ſopitos ſuscitet ignes,
 Supplice Pïerium voce rogare Deum?
Reddo lubens tibi, Phoebe, lyram, ſapiamque: Valete,
 Caſtalides Muſae! Phoebe canore, vale!

••••••••••••••••

V.

EPIGRAMMATA
ET
LVSVS MINORES

Manibus Kleistii.

Molliter ossa cubent tua! Veris molliter aura
In tumulum spiret, diue Poeta, tuum!
Vixisti Patriae; patriae ter saucius offers
Pectus, et ad patriam mens redit alta suam.
Vixisti Musis; sed nunc coelestibus audes
Immiscere melos dulce nouumque choris.
Vixisti Ruri — iamque inter amoena vireta
Elysii ridet ver sine fine tibi.

* * *

Manibus eiusdem post mortem Friderici II. Regis.

Vixisti Regi et Patriae, media inter et arma,
Pro Rege et Patria, contigit occidere.*)
Iam Rex te sequitur; iam tecum sidera spectat:
Gaudent aduentum sidera; terra dolet.**)

*) Secund. ipsius votum:
Der Tod fürs Vaterland ist ewiger
Verehrung werth. - - Wie gern sterb' ich ihn auch
Den edlen Tod, wenn mein Verhängnis ruft!

**) Vid. ipsius Epigr. Auf den Tod eines großen Mannes.

In Statuam Veneris Sanssoucianae, cuius genua Cupido amplectitur. Secundum Kleistium.

O Lapis, artificis decus immortale! quid ora
Voce carent? oculis quid ſuus ignis abeſt?
Qui te cunque videt, tibi fata precatur Eliſae, *)
Quemque Cupido locum ſuſtinet, ipſe ſibi.

* * *

In Auroram. Secund. eundem.

Inuehere, o! tandem roſeis, Aurora, quadrigis,
Dum vigilem curis me male torquet amor.
Cum Chloris mecum recubat, tunc attrahe lora,
Tunc, Dea, fac redeat tardius axe dies!

* * *

In Effigiem Melzeri.

An liceat, Muſam forma pinxiſſe virili,
Melzeri facies iſtaque charta docet.

* * *

Ad Müllerum, Rectorem scholae Afran. Misen. meritissimum, cum ad discipulorum suorum preces ab Acad. Vitemberg. lauru poëtica ornaretur.

Qui tot diſcipulis Phoebeam tradidit artem,
Huic, huic diſcipuli praemia digna ferant!

---

*) Statuae Pygmal. in vitam reuocatae.

Sed, quae ferre valent? Dicant: Doctissime, laurum
Sume tibi, et nobis, nofter Apollo, faue!

* * *

In Atrium iudiciale, bonis hasta publica vendendis destinatum.

Hic locus eft, in quo merces Aftraea repandit,
Et mercatoris fuftinet ipfa vices.
Attamen hoc discrimen ineft: hic vendit et offert
Non nifi quae fua funt, illa aliena rapit.

* * *

Rex et Poeta.

Raro Rex magnus caruit celebrante Poeta;
Saepe fed, heu! pauper Rege Poeta caret.

* * *

Mycon et Afra.

Vxorem ducis, faluis tot reftibus, Afram, *)
Cumque feneftra tibi fit fatis alta, Mycon? —
„Aera aliena premunt: linguae mucrone repente,
„Quam Themidos lenta malo perire manu."

*) Iuuen. Sat. VI.

Corinna et Hirro, coniuges.

Si Veneres oris ſpectes oculosque: Corinna,
Gratia; si mores, Eumenidum inſtar erit.
Sic ergo, inter aquas ſitiens ceu Tantalus, Hirro
Tartareas poenas, dum videt aſtra, luit.

* * *

In Choerilum.

Choerilus inſomnes meditando carmina noctes
Fallit, et ut lector dormiat, inde facit.
Sed ſopor eſt illi ſimilis, cum ſumſeris herbas
Somniferas: remanet torpor inersque ſtupor.

* * *

Melzero, Poetae laureato, Iubila Annabergensia canenti et simul Musis valedicenti.

Annae dum celebras Vrbis natalia cantu
Feſta, ſimul Muſis dicis, Amice, Vale!
Omine ſic magno descendis culmine Pindi,
Aeternumque tuum nomen, ut Vrbis, erit.

* * *

Eidem, post longum interuallum, Merkelii, Ephori Chemnicensis, laudes canendo, ad Musas reuerso.

Indoluit totus Pindus, cum diceret olim
Melzerus Muſis triſte piumque Vale!

Ipſe tamen, Muſae dum flent, ſubridet Apollo,
Tantaque diſſolui foedera poſſe, negat.
„Per caput hoc (inquit) perque omnia Numina iuro,
„Melzerum nobis, qui fuit ante, fore.“
At ſilet, atque preces nullas tractabilis audit,
Iamque haeret dubio Delius ipſe metu.
Denique Merkelius, meritis inſignis et arte,
Sopitam vocem ſuscitat atque lyram.
Protinus ad Latias Muſas, ſua ſacra, reuertit
Melzerus; Pindus clamitat omnis: aue!
Dicit Merkelii laudes Melzerus, et, ecce!
Fama utriusque ſimul nomen ad aſtra vehit.

* * *

Potator.

Si quis forte dolor languentia membra fatigat,
Et febris et tuſſis pectus anhela quatit;
Tum triſtes ſuccos Medicus mihi porrigit aegro,
Poculaque herbarum ſumere amara iubet.
Sumo: ſed, heu! mentem quoties coquit anxia cura,
Dulcibus hanc vinis exhilarare vetat.
At, cum ſit potior mens ſano corpore ſana,
Sana ut ſit ſaltem mens mihi, vina bibam.

In Maeuium Consulem, in quauis decidenda causa plurimis se votis accommodantem.

Quidam te laudant: audent reprehendere plures.
Quid verum? ipſe doces: Plurima vota valent.

* * *

Poeta et Phoebus.

Poeta.

Hunc mihi ſupremum concedas, Phoebe, laborem;
Poſthaec (crede mihi) carmina nulla canam.

Phoebus.

Sint rata vota tibi! ſed iures ante, ſupremum
Hunc fore. Sic demum ſint rata vota tibi!

* * *

Ad ....

Ne laudes, quaeſo, porro mea carmina, Lolli!
Ex quo laudator Tu mihi: nemo legit.

* * *

In Chladenium, Scriptorem Chronicor. Hainensium.

Quid tibi poſteritas tali pro munere reddat,
Quo non ingratam ſe probet eſſe tibi?

Tot tua laus porro patria celebretur in Vrbe
Annos, quot retro continet iſte liber!

* * *

In puerum dubiae indolis.

Vnus habet laudes, puer, et tua crimina verſus:
„Ingenio praecox et leuitate procax."

* * *

In Damonem, Iureconsultum et Poetam ruri latentem.

Inuideo pago Damonem (dixit Apollo)
Non niſi Parnaſſus vult ſibi tale decus.
Damonem inuideo Parnaſſo, (mox Themis addit)
Vult ſibi tale decus curia, vultque forum.

* * *

In Caium.

Cur tibi, nec preſſo curarum mole, nec annis,
Canescant crines vertice, Caie, rogas?
Deſine mirari, nec culpam defer in illos:
In ſterili marcet ſilua vel ipſa ſolo.

* * *

In Caecilianum, iudicem, cum capillamentum deponeret.

Depoſuit crines alienos Caecilianus,
Vt, quodcunque gerat, ſit maneatque ſuum.

Quantum, o! iustitiae specimen sic edidit ille,
Quandoquidem haud capiti parceret ipse suo.

* * *

In eundem.

Qui pietate senex, qui vir grauitate; repente
Fit iuuenis vultu, qualis Apollo fuit.

* * *

Arma victricia.

Aurum per medias audax amat ire cohortes,
Saxaque perrumpit, fortius igne poli.
Hinc multos pro Marte iuuat Cyllenia proles,
Vt sine Marte Duces et sine Morte fugent.

* * *

In tumulum Tulliae.

Quam tegit hic tumulus, pulchra, ingeniosa pudica,
(An dubitas, lector?) Tullia diues erat.

* * *

In Paullum, iudicem.

Quid temere increpitas Paullum, quod victima multa
Procidat ante suos, hoedus et agna, focos?

Nonne Aſtraea ſuas habet aras? nonne litari
Dona *Sacerdoti**) fasque piumque putas?

* * *

Heres ad Senem.

Opto tibi vitam, Lolli, ſine fine beatam —
Nulla ſed in terris eſſe beata poteſt.

* * *

Idem ad Eundem.

Sit tibi grex ſaluus, ſit fertilis arbor in hortis,
Sit tibi laeta ſeges, ſit tibi terra leuis!

* * *

In natalem Caecilii, memor. Mar. Magdal. sacratum.

Magdala, Caecilio cur gaudia tanta reducis?
Conſueſti pulchros ſemper amare viros.

* * *

Eidem anno post in plenilunio.

Lux tibi natalis rediit melioribus aſtris;
Nam tibi iam pleno lumine Luna nitet.
Luna fauet Muſis, Lunaque nitente, poetis
Sponte ſua lepidum carmen ab ore fluit.

---

*) L. I. §. I. D. de Iust. et Iure.

Luna, color quoniam eſt argenteus, ipſa recepit
Argenti nomen, nomine digna ſuo.
Ominor ex illo tibi nomine nominis omen,
Fiat ut argenti copia plena tibi.
Cuius cum dederit tibi Luna ſatisque ſuperque,
Tum quoque Sol auri ſatque ſuperque dabit.

* * *

Laurus.

Nec Phoebea mihi placeat, nec Martia laurus;
Nam grauis haec nimis eſt, et nimis illa leuis.

* * *

In Aulam, viro illustri at obaerato nubentem.

Parua*) leues capiunt animos: ſatiabitur ergo
Aula viri titulis, mox peritura fame!

---

*) Ouid. in Art. amand.

Nasidienus.

„Difficile eſt ſatiram non ſcribere, cum tot ubique *)
„Stultis occurras:“ Naſidienus ait.
Attamen haud ſatiram ſcribit; quid, quaeſo, retardat?
An timet occurſum forſitan ipſe ſuum?

* * *

Argilius.

Viderat Actaeon quondam ſine veſte Dianam,
Et mox, vae miſero! cornua fronte gerit.
Viderat Argilius veſtitam nuper Eliſam,
Et mox, vae miſero! ſpicula corde gerit.
Coniugium celebrat. Mox ſpicula corde recedunt;
Sed, velut Actaeon, cornua fronte gerit.

* * *

Cur?

Cur mea ſcripta legat nemo? mirabile non eſt:
Ipſe pater Naſo ſatque ſuperque docet. **)

---

*) Iuuenal. Sat. I. lin. 17. et 30.

**) Ouid. Triſt. lib. V. Eleg. X. Et rident ſtolidi etc.

In M...... Poetam, Anno 1740. insolito hiemis frigore insigni, natum.

Cum glacie quondam tellus niuibusque rigeret,
Vidiſti vitae lumina prima tuae.
Attamen ingenii ſubito vigor igneus arſit,
Ignibus in medio feruet ut Hecla gelu.

* * *

In hortos Worlicenses.

Vidimus Elyſium, Stygias interque paludes
Calcarunt noſtri grata roſeta pedes.
Vidimus Aetnaea Vulcanum mole gementem,
At prope (mirandum!) Regia Solis erat.
Vidimus humana confectas arte ruinas,
Sidereamque, alta nocte tegente, domum.
Diximus: „o! utinam ſic nox aeterna maneret!
Totaque ſic nobis terra ruina foret!

* * *

In Panorama Londin.

Viderat Albertus Londinum, interque videndum,
Hem! quid? (ait) lapidum, quid, niſi pondus iners?
Tum ſibi Londini ſpectatur imago: ſtupescit,
Iamque Deos ipſos aedificaſſe, putat.

O ſtultas hominum mentes obtuſaque corda,
Quae pro re potius ducit imago rei!

* * *

In Lessingium, Adolescentem egregium.

Si quid habent unquam veri praeſagia vatum,
Tu magnos inter conſpiciere viros.
Ingenium, probitas, induſtria, Nomen et ipſum
Augurio ſpondent optima quaeque meo.
Quin (reor) ipſius renouata luce nitescet
LessingI nomen nomine, Amice, tuo.

* * *

In Trenkium, fama, fatis, scriptis insignem, Parisiis, ut creditur, interemtum.

Liber eras, Trenki, dum libertate carebas,
Stringebatque manus dura catena tuas.
Vix tamen egreſſus vinclis, ſimul incipis eſſe
Ingenii ſeruus mancipiumque tui.
Quo te cunque moues, domino violentior omni,
Amentem mentem ſaeua cupido trahit.
Liuor et ambitio, vindictaque falſaque imago
Te libertatis, turbinis inſtar, agit.
Odiſti reges et regum iura potentum:
Rex ubi, libertas nulla (ais) eſſe poteſt.
Libera gens tandem ſine rege et lege perennem
Dat libertatem — dat tibi, Baro, necem.

In ....

Si vel apud manes fidei ſua praemia dantur,
  Hic meliore ſui parte ſuperſtes erit.
Fidus inhaerebat lateri, velut umbra, patroni,
  Siue domi, libuit tendere ſiue foras.
Non ſibi, ſed domino, vento velocior, escam
  Vt caperet, latos peruolitabat agros.
Pauco contentus, ſolo contentus amore,
  Expetiet, praeter molle cubile, nihil.
Blandus erat, promtus, patiens, vigil, impiger, audax —
  Si dubitas, lector! ſcito, fuiſſe Canem.

* * *

In tumulum M....... rabulae perditissimi.

M...i tumulo cur crescit dira cicuta?
  Vt, qualis fuerit, nuntiet ipſe locus.

* * *

Comparatio inter Reginam Aegypti et Galliae.
Ludibr. verb.

Vtraque erat forma Venus, ingenioque Minerua;
  Vtraque non fato, ſed cadit icta feris.
Illa colubrino pectus ſuffuſa veneno;
  Hanc temere Galli turgida criſta necat.

De eadem.

Heu! quam diſſimiles Gallus gallusque videntur!
Hic ſaltem matri parcit — at ille ferit.

* * *

Epitaphium Klotzii, Poetae dulciſsimi, Critici acerrimi.

Olim truncus*) eram; mox fertilis arbor in horto
Muſarum: ſpinis aſpera, grata tamen.
Ingenio laeſi iuuenesque ſenesque: ſed ipſa
Vulnera dum feci, magnus Apollo fui.

* * *

In Leonem Rudolph. a ·······
Manu sibi violenter illata, eius caput adeo quassatum et collisum reperiebatur, ut plane a ceruice reuulsum videretur.

Os, aures, oculi, cerebrum, frons, omnia deſunt,
Ipſaque de miſero corpore veſtis abeſt. **)

---

*) Moribus, aiunt, aetate iuuenili adeo rudibus et horridis fuisse, ut ab ipsis praeceptoribus per nominis omen *truncus* diceretur.

*) Aperta ianua, intra quam, puluere nitrato ex ſclopo aereo exploſo, mortem sibi consciuerat, resupinus in sella sedens inueniebatur, toga solum nocturna inuolutus et braccis linteis.

Cor tamen et pectus reſtant illaesa: quid iſtud?
Aeratum pectus corque Leonis erat.

* * *

Consilium medicum.

Septem conſului medicos, totidemque medendi
Applicui iuſſus, ſed ſine fruge, modos.
Mox ego, ſeiunctim conſultos, aeger eodem
Conuoco; vae, miſero! iurgia quanta mouent!
Hic ſtomachum incuſat, pulmones increpat ille,
Hepatis eſt vitium et ſanguinis, alter ait.

Vestes, quibus indutus, huc venerat, omni data opera, nullibi reperiri poterant. Deieceritne eas per fenestram, an eodem ipso tempore, quo ianua effringebatur, callida manu arreptae et ablatae sint, dubium est. Complures per noctem epistolas ſcripserat, quarum altera mihi ipsi relicta, iocoso potius quam perturbato animo me admonet, ut ne corpus exanimatum ablui aut quocunque ornari modo patiar. „Vermiculos, *inquit*, non tam delicati fastidii, opinor, fore." Candelam, ne aedibus periculum afferret, in patina aqua repleta reposuerat, addita schedula: die zwote aufgezogene Piſtole iſt auch geladen. Et vere ita se res habebat. Laudabile sane, consuluisse certe aliis, cum sibi ipse non potuerit.

Tum Themiſon doctus muſſanti voce: „quid iſtae
„Rixae? poſt mortem Sectio cuncta docet.“

* * *

In Schmidtium suum.

Doctis de cathedra ſacra ſermonibus uti
Te, quoties facias publica verba, negas.
Quae tamen eſſe poteſt oratio doctior illa,
Cuius doctrinam calculus*) ipſe probat?

* * *

In Ponticum, contubernalem.

Felle carere mones epigrammata, Pontice, noſtra;
Ne careant porro: Tu mihi carmen eris.

* * *

In eundem.

Funera, natales, hymenaeos, sacra, profana,
Quicquid et in tota cernitur urbe, canis.
Nemo tamen verſus tot mille redarguit unquam;
Noscere vis cauſam, Pontice? nemo legit.

---

*) Oratio enim sacra, qua illud negauerat, inscripta erat: Rechnung mit ſich und ſeiner Gemeinde.

Palinodia. Ad eundem.

„Carmina nemo legat tua? nemo?“ Typographus illa,
Singula disponens ſignâ typosque, legit.
Quin etiam Cenſor legit, exclamatque legendo:
„Nulla ſalus agitur; nil niſi charta perit.“
Inſuper Ipſe legis relegisque, ut ruminat herbam
Bos ſterilem, donec denique ſtercus abit.

* * *

Ad eundem.

Pontice, te (fateor) peramaro epigrammate laeſi;
Vt laedas iterum, me tibi ſponte dabo.
„Fellis habere ſatis mea“ dic, „epigrammata multa,
„At ſale et ingenio plura carere.“ Vale!

* * *

In N..... alumnum quondam Afranum, nunc colonum Philadelphiae. Verb. ludibr.

Quem fraternus amor quondam coniunxerat Afrae,
Nunc fraternus amor vindicat ipſe ſibi.

Vota Medici.

Arte Machaonia si morbus vincitur omnis,
Vnus deuinci, nempe ſenecta, nequit.
O utinam efficiam, morbus longiſſimus ut ſit
Hic tibi! tunc bene erit, Paulle, tibi atque mihi.

* * *

Manibus Guil. Frid. Lingkii, Scrib. quond. Saltuar. Grillenb.

Vixiſti Muſis, Patriae, Rurique Tuisque:
Nunc lugent Muſae, Patria, Rura, Tui.
Vixiſti Siluis: ergo requiesce ſub ulmi
Frondibus, et tumulum largior umbra tegat!
Gratae Te memorant ſiluae: ſed gratior olim
Poſteritas laudes concinet ipſa Tuas.

* * *

Ad Ewaldum, filium, alterum poſt receptionem inter alumnos Afranos annum auspicantem.

Gratulor, ut fas eſt, tibi, dilectiſſime fili,
Quem celebras hodie ſorte fauente diem.
Vt Latiis Muſis Graecisque operaris ad Albim,
Bis ſenis vicibus Luna peregit iter.
Reſpice grato animo, quae praeteriere, pericla,
Proſpice, quae veniant forte futura tibi!
Diſpice, quicquid agas, quid et egeris? omnia luſtra!

Adſpice, quae virtus praemia magna ferat?
Deſpice delicias vetitas animisque nocentes,
Perſpice Romanos Helladiosque ſophos!
Inſpice mente pia leges et dicta paterna! —
Haec precor, haec voueo. Sint rata vota!
Vale!

* * *

In Bonaparte, Pyramidas intuentem.

Pyramidas iuxta dum ſtas, Bonaparte, triumphans,
Atque ſtupes magnae molis et artis opus:
Protinus, en! Secli Genius fugientis ab imis
Conſurgens adytis, talia voce refert:
„Omnia tempus edax minuit, ſubuertit et aufert,
„Saepeque pro celebri cernitur urbe, cinis.
„Troia, Tyrus, Babylon, quid ſunt, niſi nomen? — At ipſae
„Pyramides quando vix modo nomen erunt;
„Tunc dicet lapidum gens inter ſera ruinas:
„„HIC LOCVS EST OLIM QVO BONAPARTE STETIT.""

AD MVSAM
EWALDO FILIO

Olim dedisti quam placido mihi
Vultu, iuuentae dum vigor igneae.
Phoebusque fauit, iam remissam
Sponte lyram tibi, Musa, reddo.

Olim canoram tangere barbiton
Flacci decebat, seu fide Teïa
Molles amores et Lyaei
Carminibus celebrare dona.

Iam (suadet aetas sic etenim, et iubet
Praeses verendi Castalidum chori)
Ponenda laurus, si qua forte
Ante meis nituit capillis.

At non inerti puluere sordidam,
Fumo nigrescens angulus in domo
Cernat latere (o dulce quondam,
Musa, tuum Charitumque munus!)

Sed, quam tuebar, dum licuit, pio
Caſtoque frondem pectore Delphicam,
Nato, precor, ſeruatam, eadem,
Qua mihi, trade manu benigna!

Hunc, Diua, plectro plenius aureo
Cantare reges, bellaque, ſed magis
Virtutis aeternas iubeto
Iuſtitiaeque ſonare laudes;

Aut, si volentem tardior impedit
Pennae volatus, tum calamo leui
Valles et umbras atque ruris
Gaudia deliciasque dicat!

....

VI.

ADDITAMENTVM

REVERENDO

MELZERO

DICATVM

DEVS IN TEMPESTATIBVS CONSPICVVS

DEVS IN TEMPESTATIBVS CONSPICVVS *)

Est *Deus!* est! Totum ſunt cuncta creata per orbem
Numine plena ſuo! — Seu terram floribus ornet
Ver geniale nouis, ſeu veſtiat arua pruinis
Triſtis hiems, glacieque ſolum niuibusque rigescat,
Cernitur in cunctis diuina potentia rebus.
Noxque diesque Deum teſtantur adeſſe, ſed Ipſum
Fulmina praecipue tempeſtatumque fragores
Cum fremitu produnt, ſtupefactaque pectora terrent.
Quam mare, quam tellus, quam tum furit excitus aether,

*) Quod hic, Lector beneuole, habes carmen, non meum, sed, ut verum fatear, Ewaldi, filii, est. Huc tamen recepi, partim quod ipſe, ne quid reticeam, alios versus interpolaui, alios mutaui aut deleui; partim, quia inter patrem et filium quasi quaedam bonorum communio est, ut adeo, si pro meo agnoscere quis velit, nec illi; nec, si ille tanquam suum vindicet, mihi iniuria aliqua illata esse videatur.

Cum tenebrae inſurgunt, et humo nox incubat atra,
Coeruleique ignes immani murmure frendent! —
Quamquam animus meminiſſe horret, refugitque timore,
Sit mihi fas, inter tot coeli auraeque tumultus
Praeſentem celebrare Deum, audacique referre
Carmine, vimque ſuam maieſtatemque tremendam! —
Fuderat in terram ceu pleno, Copia, cornu,
Vere nouo flores ſegetesque per arua, per hortos.
Luxuriant herbae fruticesque, et fertilis arbor,
Condecorata comis, attollit ad aethera frondes.
Laeta cohors volucrum concentibus aera mulcet,
Grexque ouium valles laetis balatibus implet.
Omnia laetantur, pecudes pecudumque magiſtri;
Regnat ubique quies, dominatur ubique voluptas. —
Altius interea Phoebus, radiante quadriga,
Aſſurgit: torrentur agri, ſitientia languent
Prata, carent riui lymphis; arentia marcent
Poma caduntque: Ceres flauet maturius aequo.
Quaerit aquas umbramque pecus; ſed riuulus undas,
Vmbram ſilua negat. Rauco de gutture promunt

Mugitus armenta boum, furibunda ſitique
Inter ſe dura commiscent praclia lucta,
Aut candescentes infindunt cornibus agros,
Puluereasque cient nebulas, tandemque ſub antro,
Pondere lapſa graui, languentia corpora ſternunt.
In ſicco ludunt fulicae, gemebundaque paſſim
Arenti ſecum cornix ſpatiatur arena.
At celeri penna iaculatur hirundo per alta
Flumina, queis aeſtus ſolisque pepercerat ignis,
Heu! tempeſtatum venientum nuntia dira!
Protinus inſurgunt multo cum murmure venti,
Eurique Zephyrique fremunt, agitata tumescunt
Aequora, per ſiluas it ſtridor, et ingruit horror.
Sol, oculus coeli, tenebris inuoluitur atris,
Sulphureusque vapor glomeratis nubibus exit.
Omnia terror habet, quatit aeger anhelitus artus,
Agricolaeque animi produnt pallore timorem.
Ecce! repentinis paſſim micat ignibus aether,
Et propius propiusque fremit reboatque tonitru.
Nec mora'nec reqnies, rutilantia fulmina coelo
Praecipitata ruunt: reſonant iuga celſa tumultu.
Acrius inſiſtit rabies teterrima nimbi,
Totaque cum coelo tellus ruitura videtur.
Nec ſatis eſt, grauidas quaſſare tonitrua nubes;

Grando ferit campos, graciles ſternuntur ariſtae,
Et defleta iacent ſpes anni et vota coloni.
Ruſticus, inſontes tendens ad ſidera palmas:
„Venit ſumma dies et ineluctabile fatum!“
Vociferatur, et aſtra vocat crudelia demens,
Siue preces tremulas miſero de pectore rumpit,
Aut fugit ad ſanctos, vix notos ante, libellos.
Haec etenim eſt pietas multorum: luce ſerena
Algent et languent: cum ſurgunt nubila, feruent. —
Huc ades, o! quicunque putas, terreſtria nullo
Numine fata regi, neque certa lege moueri,
Huc ades! et Regem mundi tremebundus adora! —
Quis variis annum diuiſit partibus? unde
Sol et Luna ſuos coelo didicere meatus?
Quo moderante, nitent redolentes floribus horti,
Aut tumet autumnus pomis, et meſſibus aeſtas?
Cuius ad imperium polus intonat, atque ruinas
Nuntiat, et nubes radiantia fulmina torquent?
Huc aduerte animum! — Viden', ut cadit axe triſulcum
Fulmen, et horriſono terramque polumque fragore
Percutit? heu! minitans ruiturae incendia villae!
Vix o! ſtraminei tetigit faſtigia tecti,
Extemplo referunt funeſtam culmina lucem.
Flamma coorta furit per tecta ſolumque: ſub auras

Voluitur igniuomus vapor, et iam proximus ardet
Septorum paries: ardent granaria! ſurgit
Altius aethereas ad ſedes concita flamma.
Ilicet exoritur clamor planctusque virorum,
Et lacrimae muliebres femineique ululatus,
Mugitusque boum, querulusque hinnitus equorum.
Anxia balat ouis, ſtabulis exire nec audet,
Dumque reformidat mortem flammasque minantes,
Exitus ipſe ſibi, flamma ſtridente, negatur.
Hinc illinc reuolant conſueta ad tecta columbae,
Quaeque ſibi ſumma de parte ciconia nidum
Struxerat, ut ſeruet pullos, audacius ignem
Nunc huc, nunc illuc circumuolat, inſidet altis
Culminibus, roſtro crepitans; mox decidit alis
Ambuſtis. Miſera, heu! maternae praemia curae! —
Accurſant pagi, greſſu properante, coloni;
Pars adportat aquas, pars ferro diripit unco
Flagrantesque trabes vicinaque tigna, cauetque,
Ne flammae infeſtent propioris limina templi.
Campanae lugubre ſonant, tonitruque viciſſim
Hos inter ſonitus feralia murmura miscet. —
Quis tibi nunc, Daphnis, cernenti talia ſenſus,
Dum redis, et caros deletos igne penates
Adſpicis, et triſtes, ubi erat domus ante, fauillas?

Sed grauiora manent! Nati cum matre tenelli
Occurrunt trepidi, nudi, ſciſſisque capillis,
Pectora contundunt palmis, clamantque per ignes:
„Heu! iacet intus auus: miſerum, fac, eripe flammis!
„Nos ſumus imbelles, procul effugere coloni,
„Dum pariter metuere ſuis incendia tectis.
„Proh! ſumus obliti, ſtupefacti angore.“ — Sed ille,
Nec mora, per cinerum cumulos perrumpit et ignes,
Semianimemque ſenem reuocat de morte nefanda
(Nam ſe condiderat fouea) tergoque reportat.
Si licet exemplis in paruo grandibus uti,
Haec facies Troiae fuit, hic fuit alter ab illo
Aenea: hunc ſimili decorabunt laude nepotes!
Quae noua iam figunt oculos ſpectacula noſtros?
Accelerante fuga, venturi ignara pericli,
Ruſtica, vicina rediens ex urbe, puella
Adproperat, ſiluamque petit perterrita: dumque
Fronde ſub ilicea tutamen quaerit ab imbre,
Sudor ab ore fluit, trepidant pulſantia corda,
Arrectaeque horrore comae, velut igne, relucent.
Mox tamen (aut pauidam ſubeunt praeſagia mentem,

Aut monuit coelo Genius demiſſus ab ipſo)
Proſilit illa loco, et dira ſtatione relicta,
Aufugit hinc in aperta viae. — Ruit aethere fulmen,
Fractaque deiicitur, velut icta ſecuribus, ilex.
Discite, mortales, quam ſit clementia ſummi
Conſpicienda Dei vel tum, cum fulmina iactat,
Humanasque ciet motura tonitrua mentes!
Triſte fuit durumque, domum delerier igni;
Triſte, ſenem infandis torqueri angoribus, inter
Lapſurasque trabes ardescentesque ruinas;
Triſte, ſub ilicea quaerentem fronde puellam
Confugium, fractamque metu, ſubitoque pauore
Percuſſam, longo forſan ſuccumbere morbo. —
Non homini fas eſt, rerum cognoscere cauſas,
Scrutarique vias et multiplices labyrinthos,
Ingreditur quibus alta Dei ſapientia ſummi.
Legibus aeternis regitur iuſtiſſimus ordo
Fatorum; ſed nos, denſa caligine tecti,
Non oculis talpae coelum penetrare valemus.
Sol aciem et viſus noſtros praeſtinguit: at ipſa
Flammea quid ſolis ſunt lumina? quid? niſi parua
Puncta repercuſſae lucis, qua fulgida lucent
Interiora Dei ſacraria! — Quis ſcit, an illa
Fulmine tacta domus, non imis forte cauernis
Theſaurum, ignotumque argenti pondus et auri
Condiderit, Phoenix tanquam rediuiuus, ut olim

Altius exſurgat, paupertatemque coloni
Diuitiis mutet largis opibusque futuris.
Forſitan ille ſenex, tanto discrimine vitae
Ereptus, magni ſceleris ſibi conſcius, inter
Tot diros cruciatus horroresque, fatendo
Illacrimans commiſſa Deo, ſcelus eluet omne,
Quaeque ſuperfuerit, vitam iam labe carentem
Spondebit, vereque geret ſine crimine ſanctam,
Aeternae quondam viſurus regna ſalutis. —
Sed, quid ego conor, nimio temerarius auſu,
Conſilium mentemque Dei, finesque latentes
Pandere? — Quicquid agit Deus et meditatur, id omne
Eſſe bonum, conſtat. Flammantia fulmina coeli,
Grando, niues, imbres, incendia dira, procellae,
Iuſtitiam pariter Summi benefactaque produnt,
Quin igitur, *) teſtudo ſiles tremebunda, ſilendo
Dignius et venerare *Deum!* —
Fallor? an incipiunt grauidae vanescere nubes,
Guttatimque pluit de coelo fertilis humor?
Fulgura rara iugis, nec iam nocitura, coruscant,
Lenius et tonitru pereuntis murmurat Echo.
Ventorum rabies placatur in äere ſenſim,
Et ſenſim paſſimque redit iubar aethere claro.

*) Hunc verſum et alios quosdam auctorem iuuenilem e Vere Kleistiano mutuatum esse, non est, quod moneam.

Ac veluti, cum bella mouet rex horrida genti,
Stant acies, aeris rauci canor increpat, arma
Armis miscentur contraria, ferrea late
Pondera, tormentis ignitis acta, per arua,
Perque urbes pagosque tonant; fluit undique
sanguis,
Funereosque tegunt disrupta cadauera colles:
Tum vero, tandem mollita principis ira,
Cum veniam poscunt hostes pacemque, si-
lescunt
Armorum strepitus, mentes sedantur, et omnis
Vertitur in longam pacem furor, iraque discors:
Sic cunctus coeli cecidit fragor atque tumultus,
Rex simulac Regum iubet Ipse quiescere nim-
bos,
Fulmineasque faces extingui, atrasque pro-
cellas
Sedari, referens lucem mortalibus almam. —
Interea, guttis induta nitentibus Iris,
Mille trahens varios aduerso sole colores,
Immensum longo cingit curuamine coelum,
Placatamque docet diuini Numinis iram.
Area nunc splendet coeli, tenuantur in auris
Pendentes nebulae: celsae frons gemmea rupis
Ad solis radios adamantis more refulget.
Luce noua siluae, valles et florea rura
Irradiata nitent. — Prodi, sanctissime vates,
Elysio prodi, *Kleisti!* et mihi pinge colore
Iridos hanc scenam, diuino carmine cuius
Ver melius ridet mihi, flores dulcius halant;

Quo meditante, genas, timido ſuffuſa rubore,
Noſtra verecundo tenuis tacet ore Camena!
Quam velut auratis ſcintillis prata relucent!
Quam de floretis fruticetorumque corymbis,
Suauiter aethereos cernas ſtillare liquores!
Dulcius herbarum recreata vireta vaporant,
Et noua vita redit naturae. Laeta reſurgunt
Irriguae ſegetis fragrantia culmina, et inter
Mille coloratos flores nitet arbor in hortis. —

O *Deus*, o Regum Rex maxime, conditor orbis,
Qui mare, qui terras, coeli qui dirigis aſtra,
Sume preces noſtras, nec linguae deſpice laudes
Imbellis, gratesque pias, quas pectore fido
Iam tibi nos pro ture damus! Tibi cantat Olympus
Auditos animis hymnos, et ſidera coeli
Elogium decorum pandunt recinuntque tuorum.
Te mare, te tellus, celebrat te laudibus Isdem
Ver, aeſtas, autumnus, hiems, tibique omnia parent.
Te minitante, procella ſilet; iuga concutis: ardent.
Flammiferis alis armata tonitrua vaſto
(Teſtis erat quondam Sinai venerabile culmen)
Te fremitu reboant, tua facta ſtupendaque narrant.

Perculſae trepidant ſiluae terrore, tuasque
Murmurat Oceanus laudes! Tibi dulce per auras
Fundit alauda melos, rugiunt tibi voce leones. —
Quin igitur nobis liceat, miscere trementes
Inter coelituum ſublimia iubila voces?
Cur ſoli ceſſent homines, laudare Parentem
Rerum, quem coelum, tellus, animantia bruta,
Omnia quem totum celebrant elementa per orbem?
Nos Tu, ſumme *Deus!* nos tu, *Pater* alme, beaſti
Prae reliquis: mentem nobis animumque dediſti,
Qui te cognoscat, cui ſit patefacta voluntas
Certa tua, et noſtrae via ſat manifeſta ſalutis.
Per te, perque tui meritum venerabile Nati,
Per *Chriſti* mortem, nos ipſi morte caremus,
Viſuri quondam ſedes, ubi luctus et angor
Abſunt, atque quies habitat iucunda, fidesque,
Nulla ubi terrebunt nos fulmina, nulla procella,
Ver ubi perpetuum eſt, et mortis nescia vita.
Hac ſit iter nobis! ut, tempeſtatibus acti,
Propitio tandem ſubeamus flamine portum.

EPILOGVS

Quod, cum libello huic aliqua praefarer, augurari quodammodo posse mihi videbar, nempe ipsa Latinorum nostrae aetatis poëtarum raritate effici, ut vel mediocribus, ne dicam, malis, aliquantulum gratiae haberi soleat: id, dissimulare non possum, ita ex voto cessisse, ut, si non adeo quidem multi, quam fere ad Milesiarum fabellarum epulas et cupedia (hoc enim supra votum) sed, quod multo magis veriusque mihi gratulor, VIRI grauissimi et in summo honorum fastigio constituti, ad hederam meam, recenti quasi musto suspensam, accurrerent. Quorum ut singularem erga me indulgentiam et voluntatem gratissimo addictissimoque animo veneror et agnosco: ita nunc, cum, quae collegeram singula, uniuersa reuoluam, incipio subuereri, ne de vindemia nimis gracili, siue materiem carminum, siue ipsum numerum spectent, querantur. Ad hunc quidem quod attinet, eum facillimo negotio augere poteram, et auxeram etiam, dum poëmatia mea in scriniis laterent. Traditurus autem prelo,

ſane haud pauca, uſui publico ante deſtinata, deleui aut ad quisquilias reieci, non ut reliquis peiora, ſed quod partim non meliora, partim paulo liberiora et nimis iuuenilia mihi viderentur. Cum enim ne Naſoni quidem illud:

Vita verecunda est, Muſa iocoſa mihi,

de ſe praedicanti, excuſationi eſſe potuerit: quid demum ſperandum mihi, qui nec ingenio, nec arte, nec ulla alia parte cum illo conferri poſſim? Quare, etſi tenuior forte exiliorque ex hac meditatione collectiuncula mea facta ſit, eo facilius fortaſſe veniam impetrabo a lectoribus, prius celeriusque pagellas has peruoluturis, quam iis cum taedio exclamare opus ſit:

Ohe! iam ſatis est verborum!

ERRATA

Pag. 53. vers. 12. lege: insontes.
— 80. — 8. — Cyprius, pro: Cynthius.

HAINAE
TYPIS STARKIANIS